v.14.4

De veterum macarismis

scripsit

Gustav Lejeune Dirichlet

Gießen 1914
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

BL
25
R38
v.14;4

OC
R279
v.14;4

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

begründet von

Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**

herausgegeben von

Richard Wünsch und **Ludwig Deubner**

in Münster i. W. in Königsberg i. Pr.

XIV. Band. 4. Heft

Kapitel I ist als Dissertation von Königsberg 1913 unter dem Titel *De macarismorum apud veteres formis* erschienen.

Prooemium

Explorantibus veram atque genuinam veterum naturam ante omnia quaerendum est, quid ipsi illi de rerum humanarum rationibus causisque senserint. Quam veterum indolem haud scio an optime ex eis possimus cognoscere, quae iudicaverunt de finibus bonorum. Ex quo enim de suis rebus homines cogitare coeperunt, summi boni cognoscendi cupiditas ut quae maxime omnium mentes agitavit; quo factum est, ut non solum philosophorum, sed etiam poetarum ceterorumque scriptorum opera huius rei testimoniis abundent. Hanc molem perlustrantes saepissime de summo bono cogitationes brevi formula expressas esse miramur, qua quis ob boni alicuius possessionem praedicatur beatus, summi boni quasi particeps. Nam ei, qui beati appellatione dignus habeatur, summi cuiusque boni possessionem attribui perspicuum est. Quare operae fortasse pretium erit locos, quibus quis praedicatur beatus, congerere, disponere, quaerere denique, num quid ex his de religione et disciplina morali, quam vocamus, cognoscatur.

Priusquam ad ipsam quaestionem accedamus, pauca dicenda sunt de nomine formulae, quam Christianorum theologorum morem secuti macarismum vocare solemus. Quod nomen tractum est ex iis praedicationibus, quae leguntur in quinto capite evangelii secundum Matthaeum et in undecimo capite evangelii secundum Lucam, ubi Iesus Nazarenus aeternae beatitudinis principia paucis est amplexus. Ut appareat, unde hoc nomen fluxerit, unum versum exscribo: Matth. V 3 *μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*. Qui macarismi, quantae inde ab initio apud Christianos

auctoritatis fuerint quantaque sit in iis explicandis inter viros doctos disceptatio, excutere non est officii nostri, nisi quod hoc mentione dignum videtur non Graeca exempla Iesum esse imitatum, sed Iudaica. Nam similem loquendi formam in veteris testamenti libris saepius invenimus velut in praeclaro versu primi psalmi *μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν*[1]. Quod forma Graecorum Iudaeorumque macarismi tam similes sunt, casui procul dubio dandum est.

Sed Graecos etiam in talibus praedicationibus sensisse formulae vim ex ea re cognoscitur, quod proprium verbum, cui sententia inest beatos praedicandi, sibi finxerunt, *μακαρίζειν*[2]. Quod verbum iam ab Homero usurpatum[3] originem dedit substantivo illi, quo nos quoque usuros esse dictum est, *μακαρισμός*. Hoc substantivum primum legimus apud Platonem, haud scio an ab eo ipso fictum[4] in Rep. IX 591 d *οὐκ ἐκπληττόμενος ὑπὸ τοῦ τῶν πολλῶν μακαρισμοῦ*, ubi significat admirationem populi, qui praedicationibus efferre solet, quos admiratur. Simili fere qua Christiani auctores sententia Aristoteles primus vocem adhibet Rhet. I 1367 b 33 *μακαρισμὸς*

---

[1] V. e. g. Strack-Zöckler *Kommentar zum neuen Testament* ser. B I 53. Graeci in vertendo textu Hebraico solam adhibent vocem *μακάριος*; cf. Hatch and Redpath *Concordance to the Septuagint* s. v. *μακάριος*.

[2] *Μακαρίζειν* verbum pro natura sua significare potest etiam 'beatum facere', quod tamen non plus semel inveni, Xenoph. de venat. I 11: *Ἱππόλυτος . . . . . ὁσιότητι μακαρισθεὶς ἐτελεύτησε.* Quo loco *μακαρισθεὶς* significare non posse eum, qui beatus praedicatur, eo demonstratur, quod tum Xenophonti dicendum fuit *διὰ τὴν ὁσιότητα* vel *τῆς ὁσιότητος*. Immo significat *τὸν ἀφοσιωθέντα* h. e. divinis honoribus beatum factum, quod probatur Euripidis (Hippol. 1423 sqq.) et Pausaniae (II 32, 1) locis de divinis honoribus Hippolyto datis. V. Spanhemium in Callim. hymn. Cerer. 101. At quod ab adiectivo *ὄλβιος*, cuius notio alioquin ad *μακάριος* quam proxime accedit, derivatur verbum *ὀλβίζω*, saepius habet 'beatum faciendi' notionem; v. Eur. Phoen. 1689 *ἓν ἦμαρ μ' ὤλβισ', ἓν δ' ἀπώλεσεν* et Troad. 229. Quem vocis usum Sophocleum esse voluit U. de Wilamowitz-Moellendorf in *Neue Jbb. f. d. kl. Alt.* XV 1912, 450, 2.

[3] Od. XV 537: *τῷ κε τάχα γνοίης φιλότητά τε πολλά τε δῶρα | ἐξ ἐμεῦ, ὡς ἄν τίς σε συναντόμενος μακαρίζοι.* Od. XVII 165; XIX 311.

[4] Etiam substantivi *εὐδαιμόνισμα*, quod similem in modum formatum est a verbo *εὐδαιμονίζειν*, fortasse est inventor, si genuina est epistula octava (v. e. g. H. Raeder, Mus. Rhen. LXI 1906, 526 sq.).

δὲ καὶ εὐδαιμονισμὸς αὐτοῖς μὲν ταὐτά[1] in definitione quadam qua demonstratur Aristotelem τῷ μακαρισμῷ uti ut artis vocabulo. Christianos ipsos Graece loquentes formulam quam diximus ex antiquissimis temporibus vocavisse macarismum Paulus testis est ad Rom. IV 6—7 καθάπερ καὶ Δαυὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου ᾧ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων· Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι· μακάριος ἀνὴρ οὗ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; Idem fere etiam Plutarchus claris ac distinctis verbis macarismum appellat Mor. 471 c ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον· ἔξωθεν οὗτος ὁ μακαρισμὸς ὅπλων καὶ ἵππων καὶ στρατιᾶς. Ex iis, quae attulimus, satis apparet veteres macarismum pro certa formula habuisse. Quam nostris etiam temporibus in singulis quidem litterarum generibus viri docti agnoverunt. Plura tamen de hac formula colligere nemo, si quid video, conatus est ante Eduardum Norden, qui in libro nuper edito, qui inscribitur *Agnostos Theos*, macarismorum exempla comparavit[2]. Quamquam hac dissertatione conscripta ac paene iam absoluta hic liber in manus meas pervenit, tamen virum doctissimum formulae naturam in hoc loquendi genere intellexisse gavisus sum, praesertim cum adnotatione sua non tam consummasse quam incohasse eam quaestionem mihi videretur, quam libello meo proposueram.

In materia colligenda hanc rationem secutus sum. Cum omnem materiam diligentius pertractari posse desperarem, poetarum saltem opera ac fragmenta accuratius lectitavi. Neque tamen, ubicumque in solutae orationis scriptoribus aliquid me inventurum esse speravi, officio defui, in ceteris lexicis verborumque indicibus usus sum. Plane omisi Christiana omnia, quae non a veterum auctoritate pendere, sed Iudaica exempla expressisse supra dixi. Qua ratione nonnulla quidem exempla me fugisse libenter concedo, id quod tamen non nimis moleste ferendum puto, quia non in consilio nostro erat omnes

[1] Plura huius distinctionis exempla contulit P. Wendland *Anaximenes von Lampsakos* 56 ann. 1. [2] L. l. 100 ann. 3.

macarismos congerere. Operam vero navavi, ut variarum de summo bono opinionum spectetur origo, recentiorum autem exempla tunc tantum accuratius tractavi, cum vetustiorem formam vel aperte imitarentur vel plane mutarent, cetera nulla commentatione adiecta addidimus.

Iam qui sit optimus materiae disponendae ordo quaerentibus, ultro se offert formae atque rei divisio. Priore igitur parte de vocibus saepissime usurpatis inter se synonymis atque de verborum in macarismis structura acturi sumus, altera causas, ob quas quis beatus praedicatur, tractabimus singulas.

Caput I

De macarismorum sermone

Priusquam ad macarismorum sententias transeamus, vocabula singula, quibus Graeci in beatorum laude usi sunt, formulaeque structuram diligentius inspiciamus. Nam forma demum cognita ac perspecta etiam de sententiis recte iudicabimus. Praeterea ut hominum opiniones cogitationesque diversae sunt pro temporibus, ita etiam dicendi mos mutatur. Ea igitur mente hanc quaestionem aggredimur, ut, quale sit cuique aetati proprium dicendi genus, quaeramus. Atque, quoniam macarismorum proprium est, quod felicitatis notio adiectivo exprimitur, primum de adiectivis, quibus veteres in macarismis usi sunt, dicendum erit. Qua de re quid operae eorum virorum, qui antea de eadem quaestione egerunt debeam, suo loco referam. Hic duorum nomina commemorasse satis erit, qui fusius vocabula singula tractaverunt, I. H. Heinrich Schmidt *Synonymik der Griechischen Sprache* IV 1886, 394 et M. Heinze *Der Eudämonismus in der Griechischen Philosophie, Abh. d. Sächs. Ges. d. Wissensch.* 1883, 645 sqq.

Homerus in designanda beatitudine duo vocabula adhibet, μάκαρ et ὄλβιος. De vocis μάκαρ veriloquio certi adhuc nihil constat, ex quo quae vulgo erant accepta[1], argumentis satis

---

[1] V. W. Prellwitz *Etym. Wörterbuch* s. v. μάκαρ, quem comparantem μακρός, Latinum *macer* quamvis dubitanter sequitur A. Walde *Lat. etym. Wörterbuch*[2] 451. Vetustior forma μάκαρς traditur ex Alcmane fr. 14 Bergk. — Brugmann *Gr. Gramm.*[4] 258 et *Indog. Forsch.* XVIII 430 sq. ut singularem vocis exitum explicaret, a substantivo quodam μάκαρ 'beatitudo' adiectivum μάκαρ pendere voluit.

gravibus certa non esse docuit Leo Meyer[1]. Veriloquium igitur quoniam de sensu nihil nos docet, num quid ex usu cognoscatur videamus. Optime vocabuli μάκαρ naturam perspiciemus comparantes alterum illud adiectivum ὄλβιος derivatum a substantivo ὄλβος[2], quod hominum felicitatem significat, omnia videlicet vitae iucundae condimenta, divitias[3] praecipue, vitam satis longam, fortes filios[4], alia. Similiter etiam adiectivum ὄλβιος cum de divitibus[5] tum de omnibus usurpatur, qui vita dulci fruuntur[6]. Dei autem numquam ὄλβιοι vocantur[7], semper fere μάκαρες, saepius in usitata con-

[1] *Etym. Wörterbuch* III 296 s. v. Sequitur E. Boisacq *Dictionnaire Etymologique* 1912 s. v.

[2] De etymologia v. Prellwitz l. l. s. v., qui affert lit. *elgiũs*, ind. *aryati*.

[3] Ὄλβος et πλοῦτος saepius coniunguntur, v. Il. XXIV 535 sq. ἐκέκαστο | ὄλβῳ τε πλούτῳ τε, cf. ibid. XVI 596; Od. XIV 206.

[4] V. Od. IV 207 sqq.: ᾧ τε Κρονίων | ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε, | ὡς νῦν Νέστορι δῶκε διαμπερὲς ἤματα πάντα | αὐτὸν μὲν λιπαρῶς γηρασκέμεν ἐν μεγάροισιν | υἱέας αὖ πινυτούς τε καὶ ἔγχιουν εἶναι ἀρίστους.

[5] V. Od. XVII 420; XIX 76. [6] V. e. g. Il. XXIV 543; Od. XI 137.

[7] Etiam apud recentiores ὄλβιος rarissimum est deorum cognomentum, primum apud Aeschylum Suppl. 507 Kirchhoff: ἄναξ ἀνάκτων μακάρων | μακάρτατε καὶ τελέων | τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ, praeterea nonnunquam apud Aristophanem: Ran. 452 Μοῖραι, Lys. 1286 de Iunone ποτνίαν ἄλοχον ὀλβίαν (scil. Διός). In Thesmophoriazusis coryphaeus Musam sic affatur 106 s. ἄγε νῦν ὄλβιζε Μοῦσα | χρυσέων ῥύτορα τόξων (ὄπλιζε R: corr. Bentley), paulo post chorus cantat 117 sq. σέβομαι κλίζουσα σεμνὸν | γόνον ὀλβίζουσα Λατοῦς | Ἄρτεμιν ἀπειρολεχῆ. Illud ὀλβίζειν significare ὄλβιον καλεῖν ex fine totius cantici cognoscitur, ubi chorus exclamat (129): χαῖρε ὄλβιε παῖ Λατοῦς. Haec deos etiam ὀλβίους vocandi consuetudo fortasse hymnorum propria fuit, nam et iis Aeschyli Aristophanisque locis, quos exscripsimus, hymnorum sermo affectatur (v. Fr. Adami, De poetis scenicis Graecis hymnorum sacrorum imitatoribus, *Jbb. f. kl. Phil.* Suppl. XXVI 224 sq.), et a recentioribus hymnorum poetis ὄλβιος in numero cognominum habetur (v. K. Buchholz, De Horatio hymnographo, diss. Regimont. 1912, 11; Procl. hymn. I 33; anon. hymn. in Ap. 16 Abel; cf. etiam Nonn. Dion. XXXXVIII 492; Heliod. Aethiop. III 2; Anth. Pal. IX 485, 11; A. P. VI 274, 3). Vocabulum ὄλβιος, deo minus aptum, quomodo deorum cognomen factum sit, eo fortasse explicari potest, quod nemo ὄλβον dare posse videtur, nisi qui ipse eum possidet, id est, qui ipse ὄλβιος est. Qua de causa, quoniam deorum munus est ὄλβον hominibus tribuere (v. Hom. Od. IV 207 sq.; VI 188; XVIII 19; cognomina ὀλβιόδωρος, ὀλβιέργος, ὀλβοδότειρα alia), ipsi ὄλβιοι esse debent. Ab hoc hymnorum usu seiungendus est Ζεὺς ὄλβιος, quem in variis Asiae

iunctione μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες, velut in versu Od. V 7: Ζεῦ πάτερ ἦδ' ἄλλοι μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες[1]. In hominibus designandis non nisi octies usurpatur[2], bis in locutione τρίμακαρ[3]. Cuius primum ea fuit indoles ut summam omnino felicitatem indicaret. Nam numero ternario vetustissimis temporibus numerandi facultate nondum exculta magnam quandam multitudinem expressisse homines Usener nos docuit[4]. Ubicumque autem homines μάκαρες vocantur, μάκαρ idem plane significat atque ὄλβιος, hoc est hominem familia, potentia, honoribus ceterisque bonis insignem, itemque ac ὄλβιος coartata felicitatis notione proprie de divitibus nonnunquam adhibetur[5].

Quodsi apud Homerum adiectivum μάκαρ saepissime de dis, raro de hominibus, ὄλβιος saepe de hominibus, numquam de dis dictum invenimus, de genuina synonymorum significatione hoc statuemus, vocem μάκαρ, quamquam apud Homerum nondum adeo est conexa cum notione divinitatis, ut per se posita deos significaret[6], primum tamen eam vim habuisse, ut divinam potissimum felicitatem indicaret, vitam aeternam omnibus curis solutam[7]. Postea demum descendit ad homines quasi divinae sortis participes, ubique de rebus humanis usurpari coepit, mox synonymi ὄλβιος vicibus fungi incipiebat iis etiam locis, ubi alterum vocabulum aptius fortasse videtur.

---

minoris regionibus cultum esse inscriptiones docent (v. *Bulletin de correspondance hellénique* XXXII 1908, 533), cuius cognomen ab oppido quodam nomine Olbia (octo huius nominis oppida enumerat Stephanus Byzantius s. v.) ductum boni ominis causa est ὄλβιος. V. Edhem Bey *B. C. H.* l. l. *une sorte de confusion volontaire née d'un jeu de mots entre l'ethnique et l'epithète, qui exprime le bonheur et la fécondité.*

[1] Cf. Il. XXIV 99; Od. VIII 306; XII 371, 377.

[2] Il. III 182; XI 68; XXIV 377; Od. I 217; V 306; VI 154, 158; XI 483. [3] Od. V 306; VI 158.

[4] Mus. Rhen. LVIII 1903, 357; cf. F. Boll in *Neue Jbb. f. d. kl. Alt.* XXXI 1913, 98.

[5] V. Il. XI 67: Οἱ δ' ὥς τ' ἀμητῆρες ἐναντίον ἀλλήλοισιν | ὄγμον ἐλαύνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν. Cf. Od. I 217sq.; Hes. op. 548sq.

[6] Uno loco excepto, Od. X 299. Saepius μάκαρες deos significat apud Hesiodum (e. g. Theog. 33) et in hymnis Homericis (e. g. h. in Ven. 92, 195).

[7] De voce μάκαρ, singulorum deorum epitheto, v. nunc Malten *Arch. Jahrb.* 1913, 38 ann. 4.

Neque tamen neglectam esse genuinam vocis *μάκαρ* sententiam Hesiodi locus docet vexatissimus, quem paulum accuratius inspicere liceat. In narratione de quattuor aetatibus hi versus leguntur de alterius aetatis hominibus. Op. 140 sqq.: *Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖ' ἐκάλυψε, | τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται | δεύτεροι, ἀλλ' ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ.* Lectionem ab omnibus codicibus traditam *μάκαρες θνητοί* servandam esse cognovit Erwin Rohde (*Psyche*[2] 100 ann. 2), qui iis, quae proposuerant viri docti, refutatis rectam explicandi viam primus investigavit. Ego Hesiodi sententiam sic fere circumscribendam puto: alterius aetatis homines post obitum fiunt *μάκαρες*, id est omnem accipiunt beatitudinem, non tamen sunt dei. Quare, quoniam *μάκαρ* deorum est epitheton proprium, ita ut ipsi dei omisso substantivo *μάκαρες* vocentur, demonstrare debet poeta, quo modo differat hoc beatorum genus et ab ipsis dis et a daemonibus, qui divinis fere honoribus fruuntur (122 sqq.). Appellat igitur eos *θνητούς*. At ne putes mortales esse posse, qui sunt et inferi et *μάκαρες*, quique coluntur ab hominibus, te moneam *θνητός* vocabulum altera quoque notione frui. Nam, licet per se mortalem significet, quia mortalitas maxime hominis est signum, ponitur pro *ἄνθρωπος* e. g. Il. XVII 547 *ἠύτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ | Ζεύς*. Ita fit, ut in hoc adiectivo mortalitatis notione plane neglecta sentias universam hominum fortunam caducam atque fallacem. Ita accipiendi sunt versus Il. XXIV 58 sq.: *Ἕκτωρ μὲν θνητός τε γυναῖκά τε θήσατο μαζόν. | αὐτὰρ Ἀχιλλεύς ἐστι θεᾶς γόνος*. Non mortalitatem Hectoris hoc loco significari ex eo apparet, quod ne Achilles quidem, quocum comparatur, immortalis est; sed ob eam causam Hector est Achille inferior, quia humana matre natus homo est quales ceteri. Cui Homeri loco haud nimium tribuerem, nisi ex Hesiodo[1] idem eluceret, Theog. 940 sqq.: *Καδμείη δ' ἄρα οἱ Σεμέλη τέκε φαίδιμον υἱὸν | μειχθεῖσ' ἐν φιλότητι Διώνυσον πολυγηθέα | ἀθάνατον θνητή· νῦν δ' ἀμφότεροι θεοί εἰσιν*. Item ut hoc loco contrarium vocis *θνητός* non est *ἀθάνατος*, sed *θεός*, cum non immortalis fiat Semela ex mor-

[1] Apud quem saepius etiam *θνητός* idem est quod *ἄνθρωπος*: Op. 88, 104, 458.

tali, sed dea ex homine, loco illo Operum, e quo profecti sumus, *μάκαρες θνητοί* non sunt mortales, sed viri humana quidem indole at divina felicitate praediti [1].

Ex hac excursione id lucrati sumus, ut iam luce clarius cognoscatur, quam arte illis temporibus cum vocabulo *μάκαρ* cohaeserit divinae beatitudinis notio, quae interdum tamen mortalibus quoque bene meritis conceditur. Huius usus alterum exemplum sunt beatorum insulae, quae ubicumque occurrunt in Graecis litteris vocantur *μακάρων νῆσοι* inde ab Hesiodi temporibus [2], cuius versus quia de vocis *μάκαρ* significatione aliquid nos docent, exscribo. Op. 170 sq.: *Καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες | ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην, | ὄλβιοι ἥρωες, τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν | τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.* Similitudinis memores, quae coniungit *μάκαρας* illos *θνητούς* atque heroes cum deorum felicitate, vocis *μάκαρ* naturam accuratius iam cognoscimus. Ac si hominum felicitatem voce *ὄλβιος* expressam in divitiarum aliorumque bonorum possessione constare vidimus, divinae beatitudinis, quam *μάκαρ* significat, hoc est, omnibus curis laboribusque liberum ac solutum vitam degere. Sed hanc distinctionem ut Homerum ita Hesiodum nonnumquam neglexisse ex ea re apparet, quod in versibus modo exscriptis heroes *μακάρων νήσους* habitantes *ὀλβίους* appellavit [3].

Iam accedamus ad Hesiodi versum in fine operum et dierum obvium 826: *εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος*, ubi tertia felicitatis designandae vox accedit, *εὐδαίμων*, Homero ignota, qui uno loco adhibet simillimum adiectivum *ὀλβιοδαίμων* (Il. III 182). *Εὐδαίμων* compositum est ex stirpe adiectivi *ἐύς*, quod ab Homero eiusque imitatoribus usurpatum postea interiit, et ex substantivo *δαίμων*. *Ἐύς*, quod ab eadem stirpe derivatur, qua *ἐσθλός* (v. Boisacquium l. l. s. v.), idem fere significat atque *ἐσθλός*, *ἀγαθός*, e. g. Hom. Il. II 819 *ἐὺς πάις*

[1] Affirmari haec interpretatio mihi videtur eis, quae de huius generis natura docuit Rohde l. l. 100.

[2] V. Pape-Benseler *Lexic. d. griech. Eigenn.* s. v. *μακάρων νῆσοι*. Quam locutionem etiam ii recentioris aetatis scriptores adhibent, qui adiectivum *μάκαρ* vitant ob poeticum sonum.

[3] V. praeterea Op. 549; fr. 81, 7 (Rzach).

Ἀγχίσαο; XXIII 528 *Μηριόνης Θεράπων ἐὺς Ἰδομενῆος*. De vocis *δαίμων* veriloquio vetustissimoque usu, quaestione difficillima, fusius agere hic non licet[1]. Mihi quidem primitus similem vim habuisse videtur, qualem Romanorum 'genius', id est divini comitis unicuique homini natura adiuncti[2]. *Εὐδαίμων* igitur est vel ipse bonus daemon, vel pro forma compositionis, quam 'bahuvrihi' vocant grammatici[3], is, qui habet bonum daemonem[4]. Quam significationem ex litteris Graecis solam cognoscimus. Deinde quia is, qui bono daemone utitur, omnibus bonis humanis praeditus esse solet, *εὐδαίμων* neglecta plane daemonis notione cum voce *ὄλβιος* confunditur. Id quod et Hesiodi loco, quem exscripsimus, fieri contextus docet, et in Homerici in Minervam hymni versu XI 5, ubi poeta a dea impetrat *τύχην εὐδαιμονίην τε*.

Vidimus adhuc tria esse in epico sermone beatitudinis vocabula, quae, quamvis confusa inde ab antiquissimis temporibus, natura sic differunt, ut *μάκαρ* felicitatem divinam indicet, *ὄλβιος* humanam, de cuius origine non quaeritur, *εὐδαίμων* humanam a numine quodam praebitam.

---

[1] Nihil nos cogit, ut cum Gruppio (*Griech. Mythol. u. Rel.-Gesch.* II 990 ann.) putemus nomen *δαίμων* primo significasse sortem. Praeterquam quod ipse contra sententiam suam nonnulla protulit, urbis *Λακεδαίμων* nomen propter etymologiam a *λακεῖν* et *δαίμων* incertissimam et *κακοδαίμων*, *δυσδαίμων* adiectiva procul habenda sunt, cum ante Atticorum scriptorum aetatem non inveniantur (v. Aesch. Sept. 809; Eurip. Hippol. 1362) et fortasse illis temporibus vocis *εὐδαίμων* in similitudinem sint ficta. Reliqua vero nomina *εὐδαίμων* et *ὀλβιοδαίμων* satis facile explicantur, si Graecorum *δαίμων* principio idem significavit quod Romanorum 'genius'.

[2] V. Rohde l. l. II 316 ann.; Waser *PW* s. v. *δαίμων*.

[3] V. e. g. Brugmann *Kurze vergl. Gramm.* 303.

[4] Eundem in modum formatum est *εὐτυχής*, is qui bona fortuna utitur, vocabulum ab epica poesi alienum. Quod adiectivum in macarismis rarius occurrit, quia summae felicitati praedicandae minus est idoneum. Accipitur enim antiquioribus quidem temporibus in hoc vocabulo fortunae notio fallacis atque inconstantis, e. g. Herodot. I 32 *πρὶν δ' ἂν τελευτήσῃ ἐπισχεῖν μηδὲ καλέειν κω ὄλβιον ἀλλ' εὐτυχέα*. Aeschyl. Agam. 20 *νῦν δ' εὐτυχὴς γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων*. Ibid. 1281 *ἰὼ βρότεια πράγματ' εὐτυχοῦντα μὲν| σκιά τις ἂν τρέψειεν*. Eurip. Med. 1229 *ὄλβου δ' ἐπιρρυέντος εὐτυχέστερος| ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ*. In recentiorum demum usu *εὐτυχής* cum ceteris, quae diximus, vocabulis confunditur, id quod suo loco monendum erit.

Epicorum vices a lyricis excipiuntur. Quorum plurimi interierunt; sermonis testes, qui sufficiant, nobis sunt Pindarus atque Bacchylides. Apud quos tria illa, quae commemoravimus, vocabula leguntur nullo fere discrimine usurpata, e. g. Pind. Pyth. X 1 *ὀλβία Λακεδαίμων, μάκαιρα Θεσσαλία*, quocum conferatur Pyth. IV 276 *εὐδαίμονος Κυράνας*. Novum est, quod hic felicitatis adiectiva regionum nominibus adduntur, quae Pindarus etiam foco (Ol. I 10 *ἐς ἀφνεὰν μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν*; Pyth. V 11; Isthm. IV 17) et domui (Nem. I 77 *ὀλβίοις ἐν δώμασι*; Nem. IV 24; IX 3) tribuit. *Μάκαρ, εὐδαίμων, ὄλβιος* vel eam ob causam rebus inanimis adiciuntur, quod vivam efficacemque numinis vim in his rebus poeta sentiebat, vel quia roboris tantum amiserunt haec vocabula, ut idem iam significent ac 'dives, opulentus' propiusque accedant ad usum quendam vocis *εὐδαίμων*, de quo brevi dicendum erit (p. 12). Praeterea mentione dignum est, quod vocabulum *μακάριος* apud Pindarum primum invenitur, Pyth. V 46 *μακάριος ὃς ἔχεις | καὶ πεδὰ μέγαν κάματον | λόγων φερτάτων μναμήια*, significatione plane eadem qua *μάκαρ* usurpatum.

Apud Bacchylidem *μάκαρ* semel tantum occurrit, X 121, ut deorum epitheton epico more adhibitum. Reliqua vocabula leguntur V 50 sq.: *Ὄλβιος ᾧ τινι Θεὸς | μοῖράν τε καλῶν ἔπορεν | σύν τ' ἐπιζήλῳ τύχᾳ | ἀφνεὸν βιοτὰν διάγειν· οὐ | γάρ τις ἐπιχθονίων | πάντα γ' εὐδαίμων ἔφυ*. Conferuntur inter se humana felicitas, quae gloriae opulentiaeque aliquatenus particeps est perfectaque, quam mortalium nemo assequitur, beatitudo; etiam inter ipsa vocabula *ὄλβιος* et *εὐδαίμων* aliquantum differentiae esse videtur, ita quidem, ut *ὄλβιος* de rebus humanis per se debilibus aptissime usurpetur, cum in adiectivo *εὐδαίμων* audiatur numinis nomen, penes quod sit dandi plena facultas. Quod si verum est, in his Bacchylidis versibus invenitur vocis *ὄλβιος* significatio epica, vocis *εὐδαίμων* notio vetustissima nescio quantum subtilior atque elegantior.

Ionicae dialecti, ad quam nunc transimus, teste utamur Herodoto, in cuius nota de Croeso et Solone narratiuncula (I 29 sq.) saepissime adhibetur *ὄλβιος*, nonnumquam *εὐδαίμων* vel *εὐδαιμονίη*. At *μάκαρ*, quod non nisi in formula *μακάρων νῆσος* semel occurrit (III 26), ut poeticum alienumque a pe-

destri oratione Herodotus vitavisse videtur, cum verbo *μακαρίζειν* uti non dubitaret (I 31; VII 45). *Εὐδαίμων* notione eodem modo, quem supra explicavimus (p. 11), mutata aperte divitem significat, V 8 *ταφαὶ δὲ τοῖσι εὐδαίμοσι αὐτῶν εἰσι αἵδε* et V 31 *Εὐβοίῃ νήσῳ μεγάλῃ τε καὶ εὐδαίμονι*, qui locus etiam eam ob causam memoria dignus est, quod *μέγας καὶ εὐδαίμων* certae loquendi formulae instar fuisse videtur[1].

Sed iam ad Atticos transeamus primumque, quem vetustissimum habemus, sermonem tragicum tractemus. Praemoneamus autem in Aeschyli Sophoclisque tragoediis vocabulum *μάκαρ* rarissime[2] et, quod iam increbrescit, *μακάριος*, nusquam inveniri; quorum hoc certe his poetis nimis tritum ac vulgare est visum, id quod inde colligere licet, quod Euripides et Aristophanes hoc adiectivo saepissime utuntur (v. infra p. 15, 16). Saepius occurrit *ὄλβιος*, vox his temporibus iam poetica, quae tragico sermoni propria Luciano iam est visa[3], verbumque *ὀλβίζειν* inde derivatum. Alterum verbum, quo Aeschylus in beatis praedicandis utitur, *ζηλῶ* primum quidem invidendi sive aemulandi significationem habuisse videtur, e. g. Hesiod. Op. 23: *Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων εἰς ἄφενος σπεύδοντα.* Deinde, quia is quem hominum invidia atque aemulatio sequitur, etiam beati appellatione dignus esse solet, *ζηλωτός* non solum est 'aemulandus', sed etiam 'qui beatus praedicetur', e. g. iam apud Pindarum Ol. VII 6: *Θῆκε νιν ζαλωτὸν ὁμόφρονος εὐνᾶς.* Sed apud Atticos demum scriptores verbum *ζηλῶ* plane abit in notionem beatum praedicandi, v. Aeschyl. Pers. 701: *Ὣς ἕως τ' ἔλευσσες αὐγὰς ἡλίου ζηλωτὸς ὢν | βίοτον εὐαίωνα Πέρσαις ὡς θεὸς διήγαγες, | νῦν τέ σε ζηλῶ θανόντα, πρὶν κακῶν ἰδεῖν βάθος.* Beatos praedi-

[1] V. Herodot. VIII 111 *αἱ Ἀθῆναι μεγάλαι τε καὶ εὐδαίμονες*; Aristoph. Av. 37; Xenoph. An. I 2, 6 *πόλιν οἰκουμένην καὶ εὐδαίμονα καὶ μεγάλην* et saepius (v. Sturz, Lexic. Xenoph. s. v. *εὐδαίμων* II 387 a). Plat. Prot. 316 b; Demosth. XIV 40; Aristeae epist. § 108, 109 p. 32 Wendland: *Τῶν δὲ πόλεων ὅσαι μέγεθος ἔχουσι καὶ τὴν ἀκόλουθον εὐδαιμονίαν. . . . Ἀλεξάνδρειαν ὑπερβάλλουσαν πάσας τῷ μεγέθει καὶ εὐδαιμονίᾳ τὰς πόλεις.*

[2] Aeschylus *μάκαρ* de dis tantum scripsit e. g. Suppl. 507, Sophocles semel etiam de homine fr. 376 Nauck: *Ἄμοχθος γὰρ οὐδείς· ὁ δ' ἥκιστ' ἔχων μακάρτατος.*

[3] Nigrin. I p. 39: *Καὶ τοῦτο δὴ τὸ ἀπὸ τῆς σκηνῆς ὄνομα τρισόλβιος.*

candi sententiam ζηλῶ tam saepe habet apud Atticos[1], ut iure proprium Atticae dialecto esse Atticistae iudicaverint[2].

Praeterea vocabuli εὐδαίμων novus usus commemorandus est, qui ex his Aeschyli versibus patet, Pers. 759: *Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος εὐδαίμων ἀνήρ | ἄρξας ἔθηκε πᾶσιν εἰρήνην φίλοις.* Agam. 508: *Ἄναξ Ἀτρείδης πρέσβυς εὐδαίμων ἀνὴρ | ἥκει, τίεσθαι δ' ἀξιώτατος βροτῶν.* Choeph. 681: *Ἐγὼ μὲν οὖν ξένοισιν* (Aegistho et Clytaemnestrae) *ὧδ' εὐδαίμοσιν| κεδνῶν ἕκατι πραγμάτων ἂν ἤθελον | γνωστὸς γενέσθαι καὶ ξενωθῆναι.* Sententiarum nexu luce clarius demonstratur vocem εὐδαίμων nullo horum locorum felicitatem significare. Immo epitheton esse apparet vel regi vel eius familiae honoris gratia tributum ac de nobilitate opibusque non minus quam de fortuna dictum. Eodem modo intellegenda esse puto haec Euripidis verba[3], Alc. 653: *Καὶ μὴν ὅσ' ἄνδρα χρὴ παθεῖν εὐδαίμονα | πέπονθας. ἤβησας μὲν ἐν τυραννίδι | παῖς δ' ἦν ἐγώ σοι τῶνδε διάδοχος δόμων*, ubi item atque in Aeschyli versibus ἀνὴρ εὐδαίμων est vir nobilis, summo loco natus. Cui explicationi non obstat, quod altero loco poeta eandem locutionem alio sensu adhibuit, velut in praeclaro Antigonae prooemio fr. 157: *Ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ, | εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν*[4]. Singularem hanc notionem, quam in Aeschylo quidem certo cognovimus, vox εὐδαίμων eodem fere quo etiam divitis notionem procul dubio sic nacta est, ut epitheton, quo omnis felicitatis genus primum designabatur, transferretur ad proprium quoddam, quod regum ipsorum iudicio solum hoc nomine dignum esset. Deinde haec appellatio tam arte cum ipsa regis dignitate coniuncta est, ut per se regiam nobilitatem significare posset. Cuius mutationis initium in cognata voce ὄλβιος fortasse iam apud Homerum agnoscere licet, Od. XVIII 218 *καὶ κέν τις φαίη γόνον ἔμμεναι*

---

[1] Exempla permulta collata inveniuntur in editione Thomae Magistri a C. Iacobitzio curata Lipsiae 1833, p. 385 ad vocem ζηλῶ.

[2] Moeris: *ζηλῶ Ἀττικῶς, μακαρίζω Ἑλληνικῶς.*

[3] Sunt Admeti Pheretem patrem ob mortis timorem castigantis.

[4] In Euripidis versu Suppl. 166 (Adrasti de se ipso verba) *πολιὸς ἀνὴρ τύραννος εὐδαίμων πάρος* utrum de felicitate an de nobilitate *εὐδαίμων* intellegendum sit, diiudicari non potest.

ὀλβίου ἀνδρὸς | ἐς μέγεθος καὶ κάλλος ὁρώμενος, nam pulchritudinis hereditas non tam a felici vel divite quam a generoso nobilique patre accipitur.

Dicentes de vocis *εὐδαίμων* usu fragmentum hic afferamus, quod et Aeschylo tribuitur (fr. 317) et Sophocli (fr. 848) *οἶκοι μένειν χρὴ τὸν καλῶς εὐδαίμονα*. Versus, qui proverbii fere instar per saecula mansit[1], sententia haec est: domum servare nec maris militiaeve periculis sese implicare debet is, qui recte honesteque divitiis suis utitur. Nam *εὐδαίμων* hoc loco divitem significare item atque Herodoteis locis supra exscriptis (p. 12) Xenophon docet, quem hunc versum in animo habuisse apparet, cum scriberet in narratiuncula de Saca et Pheraula, Inst. Cyr. VIII 3, 47 *ἀλλὰ σὺ μὲν πλουτῶν οἴκοι μένε. — Καλῶς εὐδαίμων* igitur idem est ac *καλῶς* vel *τὸ καλὸν πλουτῶν*. Quod vel 'plane' sive 'prorsus' divitem significat[2] vel, id quod nos supra proposuimus, eum, qui honeste divitiis fruatur. Mihi quidem comparanti similes locutiones velut *πλουτεῖν ἀδόλως* Scol. VIII 3 Bergk III p. 1289 et *πλοῦτος ἀμεμφής*, Aesch. Pers. 168; IG IV 950 (Isylli) 24, altera explicatio magis probatur, quae etiam loco a nobis tractato meliorem sensum efficit[3].

Quodsi locis modo explicatis genuinam vocis *εὐδαίμων* significationem plane oblitteratam invenimus, ob propriam vocis notionem servatam dignum est quod commemoretur praeclarum illud Antigonae Sophocleae canticum v. 583 sqq., de quo vel post Bruhnii editionem[4] accuratius agendum est. Sunt autem versus hi: *Εὐδαίμονες οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών· | οἷς γὰρ ἂν*

---

[1] V. Eur. fr. 791 *μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει*; fr. 894; Xenoph. Inst. Cyr. VIII 3, 47; comicorum locos, quos contulit Nauck ad Aesch. fr. 317.

[2] Cf. *καλῶς δῆλος* Soph. Oed. T. 1008; Aristoph. Lys. 919; *τὸ καλὸν πεφιλαμένε* Theocr. III 3, ubi scholiasta inter alia proponit *ἢ τὸ καλὸν ἀντὶ τοῦ λίαν*.

[3] Eadem significatio etiam in Herondae versu I 54 *πλουτέων τὸ καλόν, οὐδὲ κύφος ἐκ τῆς γῆς κινέων* melius quadrat, ubi recte Buecheler vertit (in editione mimiamborum Bonn. 1892) 'dives honestissime' et in Menandri fragmento 582 Kock *πατρῷ' ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα*, ubi firmae patriae hereditatis possessioni opponitur incerta atque lugubris, quae dote nuptiali comparatur.

[4] Berolini 1904, 111.

σεισθῇ θεόθεν δόμος, ἅτας | οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρπον. In primo versu *τὰ κακὰ* non esse peccati alicuius supplicia, ut voluit Bruhn, qui vertit *die Frucht des Bösen*, sed res adversas divinitus immissas particula *γάρ* demonstratur, qua haec sententia coniungitur cum altera *οἷς ἂν σεισθῇ θεόθεν δόμος.* Cum vero non hoc sibi voluisse Sophoclem verisimile sit, ut diceret beatum esse malis liberum, quippe quod nimis tritum esse Bruhnio concedendum esset, ut sententia, sequenti quae respondeat, evadat, sic vertamus: Boni daemonis nemo est, nisi qui rebus adversis caret. Sentit igitur poeta in voce *εὐδαίμων* praeter felicitatem etiam veterem illam genii notionem, quam a tragicis servatam et aliquantum sublimiorem factam esse etiam Euripides testis est, qui in versu Bacch. 72 *ὦ μάκαρ ὅστις εὐδαίμων | τελετὰς θεῶν εἰδὼς | βιοτὰν ἁγιστεύει* eam procul dubio sententiam expressit neminem fieri posse beatum, nisi cui genius bonus suadeat vitam mystarum[1].

Devenimus ad Euripidem, quem alto sublimique Aeschyli et Sophoclis genere dicendi relicto cotidianum sermonem in tragoediam induxisse inter omnes constat[2]. Cui Euripidis studio vel hoc debetur, quod *μακάριος* vitatum ab Aeschylo ac Sophocle in eius tragoediis saepissime invenitur[3] et quod adiectivum *εὐδαίμων* verbumque *εὐδαιμονεῖν* abeunt fere in notionem vocabularum *εὐτυχής*, *εὐτυχεῖν*[4], quae suam signi-

[1] *Εὐδαίμων* et *μάκαρ* hic opponuntur inter se, quod iterum factum est Bacch. 910 *τὸ δὲ κατ' ἦμαρ ὅτῳ βιοτος | εὐδαίμων μακαρίζω.*

[2] Veterem testem ut afferam, v. (Aristot.) Rhet. III 1404b 24 *ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ· ὅπερ Εὐριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος.* De vocis *εὐδαίμων* apud Euripidem usu cf. v. Wilamowitz *Euripides Heracles*[2] 1909, 317 sq.; W. Nestle *Euripides der Dichter der Griechischen Aufklärung*, Stuttgart 1901, 499 sq.

[3] E. g. Orest. 86 *σὺ δ' εἶ μακαρία, μακάριος θ' ὁ σὸς πόσις.*

[4] V. Troad. 509 *τῶν δ' εὐδαιμόνων | μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν πρὶν ἂν θάνῃ*; quocum conferas Heraclid. 865 *τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦν, πρὶν ἂν θάνοιτ' ἴδῃ τις*; praeterea Helen. 456 *τί βλέφαρα τέγγεις; πρὸς τίν' οἰκτρὸς εἶ; | πρὸς τὰς πάροιθεν συμφορὰς εὐδαίμονας.* Ion 1456 *ἀλλὰ ταπίλοιπα τῆς τύχης | εὐδαιμονοίμεν ὡς τὰ πρόσθε δυστυχῆ.* Neque tamen differentiae inter *εὐδαίμων* et *εὐτυχής* oblitum esse Euripidem demonstratur versibus Med. 1228 sqq. *θνητῶν γὰρ οὐδεὶς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ· | ὄλβου δ' ἐπιρρυέντος εὐτυχέστερος | ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.*

ficationem habuisse supra diximus. Etiam quod *εὐδαίμων* ab Euripide ponitur pro 'dives, opulentus' ad pedestris orationis morem propius accedit (v. infra 18). Exemplum nobis sit fr. 395 *πλούτου δ' ἀπορρυέντος ἀσθενεῖς γάμοι· | τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοί, | μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσιν*, ubi *τοῖς εὐδαίμοσιν* de divitibus intellegendum esse primus fragmenti versus demonstrat. In Medeae vero versu 598 *μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος, | μηδ' ὄλβος ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα*, ita duplici vocis *εὐδαίμων* notione ludit Euripides, ut altera significatio 'dives' sola sensum efficiat, altera 'felix' adeo tamen sentiatur, ut contraria vocis vi oriatur antitheseos figura[1]. Item in fragmento 198 *εἰ δ' εὐτυχῶν τις καὶ βίον κεκτημένος | μηδὲν δόμοισι τῶν καλῶν πειράσεται, | ἐγὼ μὲν οὔποτ' αὐτὸν ὄλβιον καλῶ, | φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα*[2], oppositioni vocum *ὄλβιος* 'beatus' et *εὐδαίμων* 'dives' acuminis atque salis aliquantum additur eo, quod etiam *εὐδαίμων* per se felicitatem indicare potest.

Num iure ea, quae in sermone Euripideo ab Aeschyli Sophoclisque genere dicendi diversa erant, cotidiano Atticorum sermoni attribuerimus, ex Aristophanis comoediis cognosci potest, quae illius sermonis imaginem exprimunt quam fidelissimam. Et invenimus vocem *ὄλβιος*, quam tragoediae propriam esse contendimus, tribus tantum locis de rebus humanis[3] usurpatam, ubi vel tragoediae elocutionem illudit poeta vel sublimiorem sermonis colorem affectat, cum *μακάριος* ab Aeschylo et Sophocle omnino alienum ei omnium sit longe

---

[1] Recte iam Plutarchus hunc locum interpretatus esse videtur mor. 25 a, b *Εὐριπίδης δὲ πολλὴν ἐργάζεται ταραχὴν καὶ σύγχυσιν ὅταν λέγῃ 'μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος' καὶ 'τί τὴν τυραννίδ' ἀδικίαν εὐδαίμονα τιμᾶς'* (Phoen. 549), *ἂν μήτις . . . ταῖς μεταφοραῖς καὶ καταχρήσεσι τῶν ὀνομάτων ἕπηται.*

[2] Simillimos versus Epicharm. fr. 297 ab Euripidis quodam calumniatore in Epicharmi nomen fictos esse docuit G. Kaibel *Hermes* XXVII 62.

[3] Av. 1708 *δέχεσθε τὸν τύραννον ὀλβίοις δόμοις.* Eccles. 1129 *ὦ δέσποτ' ὦ μακάριε καὶ τρισόλβιε*, ibid. 1131 *τίς γὰρ γένοιτ' ἂν μᾶλλον ὀλβιώτερος.* V. quae ad hunc locum adnotavit van Leeuwen in editione Ecclesiazusarum. Quod dei ab Aristophane saepius *ὄλβιοι* appellantur, supra 6 ann. 2 explicare conati sumus.

usitatissimum. Quod quam sit tritum atque vulgare, et ex ipso usu cognoscitur et ex cognatis locutionibus *ἐς μακαρίαν*, *μακαρίτης*, quae item ab iis tantum scriptoribus adhibentur, qui cotidianum sermonem certe non reformidant. *Βάλλ' ἐς μακαρίαν* sive *ἄπαγ' ἐς μακαρίαν*[1] est exsecratio, pro forma magis usitata *ἐς κοράκας*[2] posita, ut leniatur maledicti acumen. Nam significat haec locutio: abeas illuc, unde nunquam sis rediturus, id est ad inferorum sedes[3]. Quodsi loca, ubi mortui versantur, *μακάρια* mortuique ipsi *μακαρίτης* et *μακαρῖτις*[4] appellantur, eis tribuebatur beata illa sors, ob quam dei atque heroes cognomine *μάκαρ* digni habebantur, vitam dico ab omnibus curis sollicitudinibusque solutam. Plura de his formulis in altera parte disseremus, cum de mortuorum praedicatione dicendum erit (infra 53). Hoc loco satis est monuisse in utraque locutione fingenda vigere vetustissimam vocis *μάκαρ* significationem.

Sed redeamus ad Aristophanem, a quo profecti *μακάριος* cotidiano sermoni tribuendum esse diximus. Etiam *εὐδαίμων* verbumque *εὐδαιμονεῖν*, id quod iam Euripideus usus docuit, propriam vim amisisse idem Aristophanes probat. At singularis est locus, quo deus *εὐδαίμων* vocatur Av. 1741 *τῆς τ' εὐδαίμονος Ἥρας*, id quod praeterea semel tantum in Graeca poesi factum esse invenio[5]. Quam rem sic explicandam censeo, ut sumamus Aristophanem, qui loco illo Avium hymenaeum mortalibus dicatum imitatur[6], hunc quoque nuptialis carminis

[1] Aristoph. equ. 1151; Plat. Hipp. mai. p. 293a; cf. van Leeuwen ad locum Aristophanis. Adde Menand. Epitrep. 388; Alciphron. ep. I 9, 1; II 30, 1.

[2] E. g. Nub. 123. Aristophaneos locos contulit van Leeuwen ad versum Ran. 187.

[3] Cf. similes locutiones Aristoph. Ran. 85 *ἐς μακάρων εὐωχίαν*, Plat. Phaed. 115d *εἰς μακάρων δή τινας εὐδαιμονίας*.

[4] De voce *μακαρίτης* v. Lehrs *Popul. Aufs.*[3] 344; E. Rohde *Psyche*[2] 308, ann. 1. Vox, quae primum invenitur apud Aeschylum Pers. 631, per se idem significasse videtur ac *μακάριος*. V. Aristoph. Plut. 555 *ὡς μακαρίτην ὦ Λάματερ τὸν βίον αὐτοῦ κατέλεξας*. Vetustiores loci, ubi *μακαρίτης* usurpatur de mortuis, sunt Aeschyl. Pers. 631; Aristoph. fr. 488. 5; Theocrit. II 70; Herond. VI 55. Recentiora contulit Ruhnkenius ad Tim. p. 59.

[5] Orph. fr. 61 Abel *εὐδαίμονα σεμνὰν Μῆτιν*.

[6] V. 1735 *ἐν τοιῷδ' ὑμεναίῳ· Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι' ὦ*.

morem esse secutum, ut deam quasi novam nuptam mortalium appellatione celebraret (v. infra 34). Certe ex hoc loco satis aperte cognoscitur numinis notionem, quam inesse vocabulo *εὐδαίμων* supra diximus, plane iam neglegi.

Iam vero videamus, quid solutae orationis scriptores nos doceant. Inter quos vetustissimus Thucydides vix nos iuvat, nisi quod mentione dignum est *εὐδαίμων* illi bis plane idem esse ac *πλούσιος*, Thuc. I 6, 3 *καὶ οἱ πρεσβύτεροι τῶν εὐδαιμόνων*; II 53, 1 *ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες τῶν τ' εὐδαιμόνων*[1].

Eundem usum servat Xenophon Inst. Cyr. III 1, 24 *δουλεύοντες ἔστιν ὅτε δύνανται καὶ μᾶλλον τῶν εὐδαιμόνων ἐσθίειν τε καὶ καθεύδειν*, vel Exped. Cyr. V 4, 32 *ἐπεδείκνυσαν αὐτοῖς παῖδας τῶν εὐδαιμόνων*, quo loco usus Diodorus Siculus XIV 30, 7 scripsit *τοὺς παῖδας τῶν πλουσιωτάτων*. Ex iis locis, quibus *εὐδαίμων* de felicitate usurpatur, commemorem duos, qui Xenophontem inter *εὐδαίμων* et *μακάριος* distinxisse demonstrant. Quorum alter est Ages. XI 8 *ἀεὶ δὲ δεισιδαίμων ἦν νομίζων τοὺς μὲν καλῶς ζῶντας οὕπω εὐδαίμονας, τοὺς δὲ εὐκλεῶς τετελευτηκότας ἤδη μακαρίους*, ubi *οὕπω εὐδαίμονας* eodem sensu quo Bacchylides (supra 11) vivos appellavit, quia nemo tutus est, quin saeculi bona perdat, *μακαρίους* autem vulgarem opinionem secutus, qua vita aeterna atque beata mortuis bene meritis tribuitur. Quam vocabulorum differentiam ut altero exemplo probem, iam hic Aristotelis locum afferam, Eth. Nic. I p. 1100 a 11 sqq. *πότερον οὖν οὐδ' ἄλλον οὐδένα ἄνθρωπον εὐδαιμονιστέον ἕως ἂν ζῇ, κατὰ Σόλωνα δὲ χρεὼν τέλος ὁρᾶν; εἰ δὲ δὴ καὶ θετέον οὕτως, ἆρά γε καὶ ἔστιν εὐδαίμων τότε ἐπειδὰν ἀποθάνῃ; ἢ τοῦτο γε παντελῶς ἄτοπον .... μηδὲ Σόλων τοῦτο βούλεται, ἀλλ' ὅτι τηνικαῦτα ἂν τις ἀσφαλῶς μακαρίσειεν ἄνθρωπον ὡς ἐκτὸς ἤδη τῶν κακῶν ὄντα καὶ τῶν δυστυχημάτων*. Hic quoque distinguitur inter vocabula *εὐδαίμων*, quod quia vivorum qualitatem designat, de mortuis usurpari nequit, et *μακαρίζειν* quod ad mortuorum statum indicandum est aptissimum. Quod vero Cyrus Xenophonteus

[1] Contra altiorem felicitatis gradum significat in Periclis oratione funebri II 43, 4 *τὸ εὔδαιμον τὸ ἐλεύθερον κρίναντες.*

Inst. Cyr. VIII 7, 6 dicit *ὑμᾶς δὲ χρή, ὅταν τελευτήσω ὡς περὶ εὐδαίμονος ἐμοῦ καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν πάντα*, haud propter aerumnarum requiem morte effectam *εὐδαίμονα* se putat, sed quia bonorum humanorum possessio nulla iam sortis vi ei eripi potest.

Similem in modum altero Xenophontis loco *εὐδαίμων* et *μάκαρ* opponuntur Inst. Cyr. VIII 3, 48 in narratiuncula de Saca et Pheraula *καὶ ὁ μὲν ἡγεῖτο εὐδαίμων γεγενῆσθαι, ὅτι πολλῶν ἦρχε χρημάτων· ὁ δ' αὖ ἐνόμιζε μακαριώτατος εἶναι, ὅτι ἐπίτροπον ἔξοι σχολὴν παρέχοντα πράττειν ὅτι ἂν αὐτῷ ἡδὺ ᾖ.* Hic alterum *εὐδαίμονα* appellat Xenophon vulgari illo sensu, quo, qui divitiis fruitur, etiam beatus habetur, alterum *μακάριον* eandem ob causam, ob quam mortui quoque *μάκαρες* vel *μακάριοι* sunt, quippe curis sollicitudinibusque soluti. Quae distinctio tamen ibi tantum cognosci potest, ubi *εὐδαίμων* et *μακάριος* opponuntur, nam promiscue his vocabulis uti Xenophontem vel ea re apparet, quod in eadem de Saca et Pheraula narratione alterum ob divitias *μακάριον* appellavit, alterum *εὐδαίμονα* ob otium [1]. Quod etiam *εὐτυχής* antea de fortuna varia mutabilique dictum vigere nunc admodum et cognatae vocis *εὐδαίμων* usum sibi vindicare incipit, et Xenophon demonstrat et ceteri solutae orationis scriptores, qui hoc adiectivum iis quoque locis adhibent, quibus non tam de fortuna quam de altiore quodam felicitatis gradu agitur [2].

Postquam unum Attici sermonis testem diligentius tractavimus, in ceteris nobis brevioribus esse licet. Ex quibus Plato eam ob causam memorandus est, quod etiam deos *εὐδαίμονας* appellavit [3]; causam demonstrat Convivii locus p. 202 c

---

[1] Inst. Cyr. VIII 3, 39 *ὦ μακάριε σὺ τά τε ἄλλα καὶ αὐτὸ τοῦτο ὅτι ἐκ πένητος πλούσιος γεγένησαι*; VIII 3, 46 *'τί οὖν' ἔφη 'πρὸς τῶν θεῶν' ὁ Φεραύλας 'οὐχὶ σύγε αὐτίκα μάλα εὐδαίμων ἐγένου καὶ ἐμὲ εὐδαίμονα ἐποίησας;'*

[2] Xenoph. Inst. Cyr. I 1, 1 *σοφοί τε καὶ εὐτυχεῖς ἄνδρες γεγενημένοι*; Plat. Leg. III 690 c *θεοφιλῆ τέ γε καὶ εὐτυχῆ*, quocum loco conferas Aristot. Eth. Nic. X 1179 a 31 *θεοφιλέστατος ἄρα· τὸν αὐτὸν δ' εἰκὸς καὶ εὐδαιμονέστατον*; Hyperid. Epit. 24 *οὐ διὰ τὴν τοῦ ζῆν ἀπόλειψιν εὐτυχεῖς μᾶλλον, ἢ διὰ τὴν τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξιν ἀτυχεῖς νομιστέον.*

[3] Conviv. 195 a; 202 c; Phaedr. 247 a; Tim. 34 b.

'λέγε γάρ μοι, οὐ πάντας θεοὺς φῂς εὐδαίμονας εἶναι [καὶ καλοὺς secl. Badham] *ἢ τολμήσαις ἄν τινα μὴ φάναι καλόν τε καὶ εὐδαίμονα θεῶν εἶναι;' 'Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε' ἔφην. 'Εὐδαίμονας δὲ δὴ λέγεις οὐ τοὺς τἀγαθὰ καὶ καλὰ κεκτημένους;' 'Πάνυ γε'.* Ubi dei *εὐδαίμονες* appellantur propter earum rerum possessionem, quas etiam homines beatissimos reddere ille censet. Damnata enim vulgi consuetudine qua divites *εὐδαίμονες* vocantur[1] ipse humanae felicitatis summam in virtute ponit[2], qua quia dei omnes homines superant, et ipsi *εὐδαίμονες* appellari possunt. Est igitur transferendi hominum proprietates ad deos similis modus ei, quem in Aristophanis loco (supra 17) observavimus, nisi quod felicitatis notio a philosopho plane est mutata.

Quamquam Plato, cum deos *εὐδαίμονας* appellaret, daemonis notionem in voce *εὐδαίμων* neglexit, tamen sublimiorem, quam videmus, significationem vox *εὐδαίμων* ob id ipsum nacta esse videtur, quia in ea sentiebatur daemonis vis. Nam etymologiam huius adiectivi ut Bacchylidi, Sophocli, Euripidi (supra 11, 14 sq.), ita etiam Platonis menti obversatam esse docet locus Tim. 90 c *ἀεὶ θεραπεύοντα τὸ θεῖον ἔχοντά τε αὐτὸν εὖ κεκοσμημένον τὸν δαίμονα σύνοικον ἑαυτῷ διαφερόντως εὐδαίμονα εἶναι.* Itaque, quia daemon in hominis animo quaeritur, *εὐδαίμων* ille est, qui bonum animi statum, virtutem, servat. Quo factum est, ut *εὐδαίμων* proprium fieret philosophiae vocabulum, quo virtutis felicitas designaretur, quippe quod propter veriloquium tali officio esset aptissimum[3], id quod nescio an Aristotelis auctoritas effecerit. Sed ne in philosophorum de-

---

[1] V. e. g. Remp. III 406 c *τῶν πλουσίων τε καὶ εὐδαιμόνων δοκούντων εἶναι*; ibid. X 612 a *ὑπὸ τῶν εὐδαιμόνων λεγομένων ἑστιάσεων.*

[2] V. infra 65.

[3] Veriloquii, quo iam Democritus in disputando utitur fr. 171 Diels *εὐδαιμονίη οὐκ ἐν βοσκήμασιν οἰκεῖ οὐδὲ ἐν χρυσῷ· ψυχὴ οἰκητήριον δαίμονος*, etiam recentiores conscios se praebent: Aristot. Top. 112 a 36 *ὁμοίως δὲ καὶ εὐδαίμονα οὗ ἂν ὁ δαίμων ᾖ σπουδαῖος καθάπερ Ξενοκράτης* (fr. 81 Heinze) *φησὶν εὐδαίμονα εἶναι τὸν τὴν ψυχὴν ἔχοντα σπουδαίαν· ταύτην γὰρ ἑκάστου εἶναι δαίμονα.* Cf. Heinzium ad Xenocratis fragmentum. Sextus adv. math. IX 45 p. 400 Bekker *καὶ εὐδαίμων ἐκαλεῖτο ὁ εὖ τὸν δαίμονα διακείμενον ἔχων*; Marc. Ant. VII 17 *εὐδαιμονία ἐστὶ δαίμων ἀγαθὸς ἢ* ⟨*ἡγεμονικὸν* add. Gataker⟩ *ἀγαθόν.*

finitiones incurramus, agedum consideremus oratores, qui soli adhuc ex Atticae dialecti testibus restant.

Quibus haud ita magna est vocabulorum in exprimenda felicitate copia. Ὄλβιος enim et μάκαρ vitantur ob poeticum sonum, μακάριος[1] propter vulgaritatem; in usu est verbum μακαρίζω, quare etiam adiectivum verbale sermone oratorio dignum habetur, μακαριστός, cuius comparativo et superlativo saepius usurpatis[2] hanc verbi formam plane in locum cognati adiectivi μακάριος successisse demonstratur, nisi quod longior ac plenior forma simplici adiectivo efficacior visa est. Longe usitatissimum vocabulum est εὐδαίμων, quod saepissime ad felicitatem hominum et urbium designandam adhibetur. Denique adiectivi εὐτυχής et adiectivi verbalis ζηλωτός mentionem faciamus, quae in oratorum quoque operibus proxime ad ceterorum felicitatis vocabulorum significationem accedere supra iam commemoravimus (12 sq.).

Quae de Atticorum elocutione cognita habemus, haec fere sunt: ex iis vocabulis, quae in felicitate significanda adhibentur, ὄλβιος et μάκαρ poetica sunt sublimioris tragoediae sermonis propria, a cotidiano usu et a soluta oratione omnino fere aliena. Contra μακάριος tam vile est, ut tam ab Aeschylo et Sophocle quam ab oratoribus evitetur, cum saepius usurpetur ab iis scriptoribus, qui vulgari sermoni propiores sunt. Una voce εὐδαίμων omnes aeque utuntur, sic tamen ut tragici atque philosophi nonnunquam altiorem felicitatis gradum hoc adiectivo exprimant, daemonis notionis, quae inest, conscii, ceteri autem etiam vilissimum felicitatis genus, divitias, hac voce significent. Nonnunquam cum his vocabulis confunditur εὐτυχής, quod plerumque ad angustiorem bonae fortunae notionem exprimendam idoneum est.

Iam ad eam aetatem, quam hellenisticam appellare con-

---

[1] Semel occurrit apud Isocratem, Panath. 228 εὐδαίμονας καὶ μακαρίους in firma loquendi forma εὐδαίμων καὶ μακάριος; cf. e. g. Aristoph. Plut. 655; Plat. Remp. I 354 a; Leg. II 660 e, passim; Aristot. Eth. Nic. I 1098 a 19; X 1178 b 9; Pol. 1323 b 4; Plut. Mor. 107 f; 115 b; 140 d; 155 b; Lucian. Nigr. 1; de sacrif. 2; Necyom. 12.

[2] Isocr. de pac. 143 τοσούτῳ δὲ μακαριστότεροι τυγχάνουσιν ὄντες Euag. 70 μακαριστότατος ἐξ ἀρχῆς ὢν διετέλεσεν.

sueverunt, devenimus. Cuius sermonem quominus copiosius tractemus obstat testimoniorum inopia. Nam philosophi, quorum fragmenta largiora nobis sunt servata, quoniam in disputando traditis artis vocabulis utuntur, in ipso aetatis sermone cognoscendo vix nos iuvant. Neque, quae in Aegypto in lucem prodierunt, papyri ampliorem disserendi materiam nobis suppeditaverunt. Quod ne nimis doleamus, ex iis, quae servantur, litterarum monumentis satis clare perspicimus, homines, qui tum erant, in excolenda felicitatis notione nihil fere effecisse, cum tradita a patribus conservasse satis habuerint. Idem de imperatorum aetate iudicandum est, quia ne atticissantes quidem, cum ad veterum fontes reverterentur, in hac re quicquam renovaverunt. Qua de causa omne exeuntis antiquitatis spatium brevissima delineatione comprehendere licet.

Poetis propria sunt *μάκαρ*[1], de dis praecipue usurpatum, et *ὄλβιος*[2], quod a solutae orationis scriptoribus[3] rarissime adhibetur. Longe usitatissimum in cotidiano sermone est *μακάριος*, id quod e comoediae fragmentis discimus[4], cum adiectivum verbale *μακαριστός* paululum exquisitius fuisse videatur[5]. *Εὐδαίμων* ab usu vulgari magis alienum fuisse ex ea re fortasse concludi potest, quod et a comoediae novae poetis rarius adhibetur et in sacra scriptura tam veteris quam novi testamenti non invenitur, contra philosophi hanc vocem vulgari adiectivo *μακάριος* aperte praetulerunt, nescio an

---

[1] Ut uno exemplo utar, Apollon. Argon. I 1102.

[2] E. g. Callim. hymn. V 117; fr. 111. Saepissime apud bucolicos et in epigrammatibus Anthologiae, e. g. Theocr. XII 28; A. P. V 170, 3.

[3] Vetustiores voce *ὄλβιος* ibi tantum utuntur, ubi gravitatis causa plura felicitatis vocabula cumulant. V. e. g. Zenonis fragmentum 216 p. 53, 8 Arnim *εὐδαίμων δέ ἐστιν μάλιστα καὶ εὐτυχὴς καὶ μακάριος καὶ ὄλβιος καὶ εὐσεβὴς καὶ θεοφιλής*; vel Plut. Mor. p. 1063 d *ὁ μὲν σοφὸς ὄλβιος, μακάριος, πανευδαίμων, ἀσφαλής, ἀκίνδυνος*; cf. p. 58 e; 1058 b. Recentiores vocem nonnunquam etiam per se positam adhibent: v. Aelian. v. h. 94, 17 Hercher; Dio Chrys. II 68; Philostrat. Apollon. 261, 7; im. 297, 6; 348, 18; cf. Schmid *Atticismus* III 212.

[4] V. Iacobii indicem, Meineke com. Graec. fragm. V 2, 597.

[5] V. e. g. Antiochi Commagenensis inscriptionem, Dittenberger O. G. I. 383, 16; 23; 39; 108.

Platonis atque Aristotelis exemplum secuti. Recentiores demum utraque voce aeque utuntur, immo iam adeo confundunt, ut *μακάριος* etiam de divitibus [1], *εὐδαίμων* nonnunquam de mortuis [2] usurpetur.

Perlustravimus longum temporis spatium diligentius initio, cum nova atque mutabilia omnia permitterent, ut de singulorum vocabulorum natura certam opinionem caperemus, brevius deinde, cum confirmata atque sibi constantia tradi tantum videremus. Varium sermonem esse cognovimus pro tempore, litterarum genere, scriptoris proprietate. Etiam quid aetas quaeque singulique homines pro summo bono habuissent ex elocutionis usu nonnunquam elucebat. Longe aliter res se habet in iis vocabulis, quibus Romani, ad quos iam transimus, in felicitate designanda usi sunt. Nam neque eundem atque in Graeca lingua notionis progressum in Latinis vocabulis animadvertimus, quae per omne tempus eandem significationem stabilem immutatamque servant, neque eandem inter singula differentiam, quippe quae nullo fere notionis discrimine data occasione usurpentur. Qua de causa trium vocabulorum, quae saepius in litteris Latinis felicitatem indicant, 'beatus felix fortunatus', veriloquium protulisse et usum paucis testimoniis demonstravisse satis erit.

Quod in macarismis Latinis omnium creberrimum invenitur, 'beatus' adiectivum verbale est verbi beare, quod a stirpe quadam 'due' derivatur, unde etiam adiectivum 'bonus' et adverbium 'bene' formata sunt [3]. Significat hoc verbum idem fere ac 'delectare', ut exemplo utar, Plaut. Amph. 641: 'plus aegri ex abitu viri quam ex adventu voluptatis cepi. | Sed hoc me beat | saltem, quom perduellis vicit'. Sed verbi

---

[1] Primum, si quid video, apud Polybium *μακάριος* divitem significat, III 91, 6 *τὴν πασῶν ποτε μακαριωτάτην γεγονυῖαν πόλιν Καπύην*. Atticistas etiam hac notione vocem adhibuisse Dio Chrysostomus testis est, v. Schmid *Atticismus* I 125.

[2] Vox *εὐδαίμων* in titulis bis de mortuis usurpatur, IG XII 1, 584; XII 5, 389. Quam non ad aliquam sectam spectare, ut Hiller de Gaertringen ad IG XII 5, 389 putabat, sed a simili mortuorum appellatione usitatissima *μακάριος* translatam esse puto.

[3] V. A. Walde *Lateinisches etymologisches Woerterbuch*[2], s. v. 'beo'.

naturam in adiectivo plane neglegi antiquissimi iam loci docent, quibus 'beatus' occurrit velut Enn. Ann. 245 Vahl.: 'Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus' vel Plaut. Truc. 808: 'puer quidem beatust: matres duas habet et avias duas'. Ponitur pro Graeco *μάκαρ* e. g. in locutione 'terque quaterque beatos' (Verg. Aen. I 94), qua vertitur Homeri illud *τρισμάκαρες καὶ τετράκις*, sed etiam pro *εὐδαίμων*, si divitem significat, v. e. g. Solin. 33, 4: 'Hanc Arabiam Graeci Eudaemonem nostri Beatam nominaverunt'.

Alterum vocabulum 'felix', quod ad eandem stirpem recedit ac 'fe-cundus' 'fe-tus' [1], ob veriloquium genuinam fertilitatis notionem retinuit, e. g. Hor. Epod. II 13: 'Inutilisve falce ramos amputans | feliciores inserit'. Deinde quia antiquissimis temporibus fertilitas omnis prosperitatis quasi summa habebatur, vocabulum 'felix' amplificata notione eo devenit, ut omnem fortunae favorem indicet. Quo fit, ut genuina fertilitatis significatione neglecta mox cum altera voce 'beatus' confundatur, e. g. Martial. X 5, 8: 'Vocet beatos, clamitetque felices,| Orciniana qui feruntur in sponda'.

Etiam in tertia voce 'fortunatus', adiectivo verbali verbi 'fortuno', propriam fortunae notionem, quam in simili Graecorum voce *εὐτυχής* semper fere servatam videbamus, minime sentiri ex ea re cognoscitur, quod 'fortunatus' cum ceteris vocabulis, quae diximus, nullo discrimine adhibito confunditur. Quin etiam dei fortunati vocantur apud Ovidium ex Pont. III 5, 54: 'Caelesti sede receptum | cum fortunatis suspicor esse deis'.

Perlustratis singulis vocabulis, quibus Graeci ac Romani felicitatem designare solebant, iam accedamus ad totam macarismi quam vocamus formulam contemplandam. Cuius forma atque structura tam simplex est et tam firma atque immutata per saecula manet, ut in ea explicanda admodum paucis exemplis contenti esse possimus. Ordiamur autem a vetustissimis locis, quo antiquissimus formulae usus spectetur.

Redeamus igitur ad Homerum, qui Ulixem saevi maris tempestatibus vexatum exclamantem fingit Od. V 306 *τρισ-*

[1] V. Walde l. l. s. v. 'felix'.

μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἵ τότ' ὄλοντο | Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες. Praedicat Ulixes Danaorum felicitatem brevissima sententia, quae ex subiecto tantum (*Δαναοί*) et praedicato (*τρισμάκαρες καὶ τετράκις*) constat verbo substantivo *εἶναι* ob vehementiorem exclamationis affectum omisso. At sententia *τρισμάκαρες Δαναοί* per se sensum non efficit, quia ignoratur, qua de causa beati vocentur Danai. Quam causam relativa sententia, quae sequitur, continet *οἵ τότ' ὄλοντο.* Totum igitur enuntiatum circumscribi potest: beati sunt Danai, quia tunc perierunt.

Addamus alterum ex Homero exemplum, Ulixis verba, quibus in sexto Odysseae libro Nausicaam affatur v. 153 *εἰ δέ τίς ἐσσι βροτῶν τοὶ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσι | τρισμάκαρες μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, | τρισμάκαρες δὲ κασίγνητοι· μάλα πού σφισι θυμὸς | αἰὲν ἐυφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο, | λευσσόντων τοιόνδε θάλος χορὸν εἰσοιχνεῦσαν. | κεῖνος δ' αὖ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων | ὅς κέ σ' ἐέδνοισι βρίσας οἰκόνδ' ἀγάγηται.*

Hoc quoque loco ipsa praedicatio nomine sive pronomine et adiectivo constat (*τρισμάκαρες πατήρ, μήτηρ, κασίγνητοι, κεῖνος μακάρτατος*), sed causa, ob quam omnes hi beati appellantur, alio modo exprimitur, primum ipso nomine, nam eo ipso, quod sunt pater, mater, fratres, huius felicitatis participes sunt, deinde propria sententia primaria nulla coniunctione adiecta *μάλα πού σφισι θυμὸς κτλ.* Nec sententiae relativae *ὅς κε σ' οἰκόνδ' ἀγάγηται* eadem est ratio atque prioris *οἵ τότ' ὄλοντο*, quippe quae haud tam praesentis beatitudinis causam quam futurae condicionem indicet. Quare cum antea in circumscribendo causali particula usi simus, hic condicionali utamur: beatus erit sponsus, si te in matrimonium duxerit.

Novam praedicationis formam exhibent Hesiodei versus, qui exstant in fine Operum et dierum v. 826 *εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος ὃς τάδε πάντα | εἰδὼς ἐργάζηται*, nam pro nomine, quod in exemplis adhuc allatis nusquam desideravimus, hic ponitur sententia relativa, quam ceteris locis ad causam condicionemve designandam substantivo vel pronomini adiectam invenimus. Quae sententia hoc loco aperte condicionem indicat. Non enim quibus constet ipsa beatitudo, in sententia relativa

memoratur, sed quo modo comparari possit, vel ut magis perspicue rem exprimam: homo non beatus est, quia praeceptis obsequitur, sed, si praeceptis obsequetur, beatus erit. Hanc causae atque condicionis distinctionem, quam quis primo obtutu argutiorem esse iudicet, re vera exstitisse alio exemplo apertius fiet, Hymn. Hom. in Mus. 4 *ὃ δ' ὄλβιος ὅν τινα Μοῦσαι | φίλωνται· γλυκερὴ οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή*. Hic et causa felicitatis propria sententia notatur et condicio. Poeta beatus est, si Musae eum amant; qua re autem ipsa beatitudo contineatur, asyndeto insequenti dicitur, nam haec est poetae beatitudo, quod dulcis oratio ab ore eius fluit.

Exemplis perlustratis certius iam macarismi naturam definire licet. Est enim praedicationis forma sive formula, in qua felicitas adiectivo exprimitur, persona praedicata aut nomine vel pronomine designatur, aut sententia relativa, quae pro nomine posita causam vel condicionem felicitatis indicat. Harum formarum altera *ὄλβιος ὅς*, *μακάριος ὅς* longe est usitatissima, quae sola fere formulae nomine digna sit.

Exempla, quae adhuc tractavimus, ut ex poetis erant petita, ita poetico generi dicendi propria sunt. Sublimius enim formula *ὄλβιος ὅς*, *μακάριος ὅς* sonat, quam quae in cotidiano sermone saepius usurpetur. Quare alium beatos praedicandi modum cotidianus sermo sibi formavit aliter exprimendo causam, ob quam quis beatus vocatur. Quae causa vel genetivo significatur nomini adiecto[1], e. g. Aristoph. Pac. 715 *ὦ μακαρία βουλή σου τῆς θεωρίας*, vel sententia causali sive condicionali, e. g. Aristoph. Ach. 400 *ὦ τρισμακάρι' Εὐριπίδη, | ὅθ' ὁ δοῦλος οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται*; vel Plat. Menex. 249 d *μακαρίαν γε λέγεις τὴν Ἀσπασίαν, εἰ γυνὴ οὖσα τοιούτους λόγους οἷα τ' ἐστὶ συντιθέναι*. Iis quoque locis, quibus nomen omittitur, non semper eadem est circumscribendi ratio, sed pro sententia relativa saepius invenimus participium articulo addito pro nomine positum e. g. in Plat. Rep. I 354 a *ὅ γε εὖ ζῶν μακάριός τε καὶ εὐδαίμων*.

De formulis Romanorum fusius agere supersedeo, quippe

[1] De huius genetivi indole v. Kühner-Gerth *Gr. Synt.* I § 420 d.

qui non novam beatos praedicandi formam invenerint, sed acceptam a Graecis non mutatam servaverint.

Varia macarismorum genera perlustrantes diversum esse poetici atque cotidiani sermonis usum cognovimus. Cuius quin omnia exempla attulerimus, longe abest, sed iure nos sic distinxisse iis testimoniis satis probabitur, quae in altera parte exscribam, ubi de macarismorum sententiis dicendum erit. Iam enim forma praedicationis perspecta ad res transeamus, quae summa laude dignae in macarismi formulam redactae sunt.

Caput II

De macarismorum sententiis

De vocabulis in designanda felicitate usurpatis dicentes temporum, quibus singuli auctores vixerunt, ordine usi sumus. Quem ordinem ne etiam in hoc capite servemus, obstat, quod hominum cogitationes non eodem modo sese excipiunt, immo complures eaeque diversae sententiae eodem tempore gignuntur atque pereunt. Ne id quidem fieri potest, ut uniuscuiusque aetatis effigiem delineemus, omnia eius aevi testimonia in unum conferentes; nam formulas esse diximus, de quibus agimus, quas per longa temporum intervalla sibi constare notum est. Quare singulas huius capitis partes non ad temporum ordinem digeremus, sed ad sententiarum similitudinem, ita quidem ut sub uno conspectu ponamus eos macarismos, quibus eaedem fere res tamquam beatitudinis fundamenta praedicantur.

Ut a vetustissimo teste initium faciamus, redeamus ad Homeri versus, quos aliis de causis supra iam (25) tractavimus (Od. VI 154), ubi Nausicaae parentes et fratres beati praedicantur ob filiae sive sororis pulchritudinem. Quod ad parentes primum attinet, cum omnibus gentibus, quae sancta consanguinitatis generisque necessitate continentur, tum Graecis inde ab antiquissimis temporibus summum bonum est visum, bonis ac pulchris liberis uti. Testis est Homerus, testis est Pindarus multique alii, ex quibus unum Euripidis testimonium affero ex Ione, ipsa, ut ita dicam, orbitatis tragoedia, ubi chorus praeclaris verbis *εὐπαιδίας* commoda laudat, v. 472 *ὑπερβαλλούσας γὰρ ἔχει | θνατοῖς εὐδαιμονίας | ἀκίνητον ἀφορμὰν | τέκνων οἷς ἂν καρποτρόφοι | λάμπωσιν ἐν θαλάμοις| πατρίοισι νεανίδες ἥβαι, | διαδέκτορα πλοῦτον | ὡς ἔξοντες ἐκ*

πατέρων | ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις· | ἀλκά τε γὰρ ἐν κακοῖς | σύν τ' εὐτυχίαις φίλον | δορί τε γᾷ πατρίᾳ φέρει | σωτήριον ἀλκάν. | ἐμοὶ μὲν πλούτου τε πάρος | βασιλικῶν τ' εἶεν θαλάμων | τροφαὶ κήδειοι κεδνῶν γε τέκνων. | τὸν ἄπαιδα δ' ἀποστυγῶ | βίον, ᾧ τε δοκεῖ ψέγω· | μετὰ δὲ κτεάνων μετρίων βιοτᾶς | εὔπαιδος ἐχοίμαν. Qui chori cantus, quantum verbis fieri potest, exponit, quanti pretii sint in vita agenda boni liberi. Praeter insitum amorem, qui parentes liberorum egregia indole ac fortuna quasi sua gaudere facit naturalemque heredis cupiditatem, qui familiae bona suscipiat atque asservet, sunt commoda, quae ex liberorum viribus nascuntur velut ab hostibus praesidium, aegritudinis senectutisque subsidium, est denique gloria variis liberorum virtutibus comparata, qua parentes non minus quam ipsi liberi fruuntur. Nam utpote parentes, quod sunt vitae auctores, liberorum gloriae participes fiunt. Praeterea ut nefaria et scelesta facinora non singulos solum homines, sed totam familiam pessum dant, ita praeclare luculenteque facta parentes quoque honestissimos felicesque reddunt[1].

Sed iam videamus quo modo hae cogitationes in formulam macarismi devenerint. Id quod bene demonstratur Solonis de Cleobi et Bitone narratione, quorum matrem Argivae mulieres circumstantes beatam praedicant, quia tales filios sit nancta: Herod. I 31 *Ἀργεῖοι μὲν γὰρ περιστάντες ἐμακάριζον τῶν νεηνιέων τὴν ῥώμην*[2], *αἱ δὲ Ἀργεῖαι τὴν μητέρα αὐτῶν, οἵων τέκνων ἐκύρησε.* Mulieres, quae una cum matre eximia filiorum virtute gaudent, ea, quae sentiunt, exprimere conatae incompositis exclamationibus matrem salutant, causas pronuntiantes,

[1] V. de his omnibus, quae contulit Leopold Schmidt *Ethik der Griechen* II 133sqq. Praecipue apud recentiores scriptores felicitas bonis liberis effecta locus fere vulgaris est: Chariton I 3 (p. 418, 21 Hirschig) *καὶ οἱ ἀμφοτέρων αὐτῶν γονεῖς μακαρίους αὐτοὺς ὑπελάμβανον τὴν τῶν τέκνων ὁρῶντες ὁμόνοιαν*; Lucian. Dial. mer. VI 4 *ὡς ὑπερπλουτεῖ καὶ τρισευδαίμονα πεποίηκε τὴν μητέρα*; Liban. or. LXIV 45 p. 448, 11 Förster *καὶ τοὺς αὑτῶν γονέας εὐδαίμονας καὶ τιμίους ἀπέδειξαν τῇ σφῶν αὐτῶν σωφροσύνῃ*; Himer. or. I 12 *Ὀλυμπιάδα τὴν ἐπὶ τοῖς Ἀλεξάνδρου τόκοις εὐδαίμονα*; id. Or. XXIII 5 (alloquitur filium suum mortuum) *τρισευδαίμων διά σε πρότερον, νυνὶ δὲ τρισάθλιος.*

[2] De *ῥώμης* laude v. infra 46.

ob quas mater omnium admiratione digna sit. Has vulgi acclamationes ac salutationes et Herodotus verbo μακαρίζειν designat, et Xenophon, cum similem rem narret de Agesilai et Teleutiae matre Hellen. IV 4, 19 ὥστε μακαρίζεσθαι αὐτῶν τὴν μητέρα, ὅτι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὧν ἔτεκεν ὁ μὲν τὰ τείχη τῶν πολεμίων ὁ δὲ κατὰ θάλατταν τὰς ναῦς καὶ τὰ νεώρια ἥρηκε. Vulgarem hunc usum ex comoedia optime cognosci posse mirum non est, cuius rei et Aristophanis testimonium afferre licet Nub. 1206 (Strepsiadis ad filium verba) μάκαρ ὦ Στρεψίαδες, | αὐτός τ' ἔφυς ὡς σοφὸς | καὶ οἷον τὸν υἱὸν τρέφεις, | φήσουσί μ' οἱ φίλοι | καὶ οἱ δημόται | ζηλοῦντες ἡνίκ' ἂν σὺ νικᾷς λέγων τὰς δίκας, et Terentii, quem Graecae comoediae morem secutum esse puto scribentem Andr. 96: 'Tum uno ore omnes omnia | bona dicere et laudare fortunas meas, | qui gnatum haberem, tali ingenio praeditum'.

Fuisse re vera formulam illam macarismi, quam verbo μακαρίζειν Graecos, 'laudare' Terentium indicare videbamus, ex Aristophanis loco modo exscripto satis apparet, ubi ipsa amicorum verba afferuntur. Sunt alii quoque comoediae loci, quibus vulgaris formulae usus aperte demonstratur velut Aristophanis Vesp. 1275 ὦ μακάρι' Αὐτόμενες, ὡς σε μακαρίζομεν, | παῖδας ἐφύτευσας ὅτι χειροτεχνικωτάτους; ibid. 1512 ὦ Καρκίν', ὦ μακάριε τῆς εὐπαιδίας, et Plauti Bacch. 455: 'Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi'. Quam formulam vita cotidiana firmatam in sublimiore quoque poesi invenimus, quo ex ipsa vitae consuetudine procul dubio transiit. V. e. g. Verg. Aen. III 480 'Vade', ait 'o felix nati pietate'; Consol. ad Liv. 33: 'Obvia progrediar felixque per oppida dicar'; Stat. Theb. XI 36: 'Felices ambo, sed fortunatior ille, | quem genuisse iuvat'.

Quae adhuc comprehendimus exempla vel breves erant exclamationes ex admiratione laetitia similibusque affectibus natae, vel referenda quidem ad huiusmodi exclamationes. Sed non solum ex concitato animi motu, sed etiam ex quieta contemplatione hominis, qui de fine felicitatis cogitat, similes macarismi oriri possunt. Qui macarismi, quamquam saepius ex isdem occasionibus, quin etiam affectibus, nascuntur atque ii, quos diximus, tamen ab iis ea re differunt, quod neglectis singulis

de communi omnium sorte aliquid praedicant. Transeunt igitur in illud sententiarum genus, quod Graeco nomine 'gnomam' vocare assuevimus. Exemplo utamur Euripidei Orestae loco, ubi Tyndareo seni triste fatum lugenti 540 *ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνήρ, | πλὴν ἐς θυγατέρας· τοῦτο δ' οὐκ εὐδαιμονῶ*, chorus respondet *ζηλωτὸς ὅστις εὐτύχησεν ἐς τέκνα | καὶ μὴ 'πισήμους συμφορὰς ἐκτήσατο*, quo loco chorus acerba Tyndarei sorte commotus meliorem aliorum hominum sortem mente sibi fingit et referendo proprium casum ad communem ceterorum fortunam sententia exprimit rem usu compertam ac probatam, hoc est gnoma.

Ad hanc macarismorum formam saepius recurremus in iis, quae sequuntur. Nunc vero superest, ut proprium prioris classis genus tractemus, in quo etiam Homerici versus sunt in initio capitis a nobis allati (supra 28). Ubi non ipsorum parentum in honorem Ulixes praedicatione utitur, sed ad filiae benevolentiam sibi conciliandam. Apparet enim allocutionem 'beati parentes tui, quia te talem genuerunt', ad cuiusvis hominis gratiam sibi constringendam esse aptissimam, nam qui tali allocutione utitur, certas virtutes ponit, quibus parentes delectentur. Quo factum est, ut hoc blandae appellationis genus firma loquendi formula ad alicuius gratiam asciscendam saepius vel in initio orationis ponatur, vel pro salutatione. Praeter Homerum, eosque, qui Homeri versus vel ad verbum fere verterunt[1] vel suum in modum mutaverunt[2], iam hymni in Apollinem Delium poeta hanc rationem inisse mihi videtur, cum ipsi in Apollinem hymno Latonae matris invocationem insereret 14 *χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα | Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν*, non enim ipsam

[1] V. Ov. Metam. IV 322: 'Sive es mortalis, qui te genuere, beati, | et frater felix et fortunata profecto | siqua tibi soror est, et quae dedit ubera nutrix'. Val. Flacc. Argon. V 382: 'Si domus in terris atque hinc tibi gentis origo, | felix prole parens, olimque beatior ille, | qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis'.

[2] In horum numero habeo ignotum auctorem, quem et Musaeus imitatus est 138 *ὄλβιος ὅς σε φύτευσε καὶ ὀλβίη ἦ τέκε γαστήρ* (*μήτηρ* codd.: Dilthey), | *γαστὴρ ἥ σε λόχευσε μακαρτάτη* et Claudian. Prob. et Ol. cos. 203: 'O duplici fecundam consule matrem | felicemque uterum, qui nomina parturit annis.'

Latonam hac invocatione ornat, sed filium Apollinem, cui hymnus dicatur. Quod item Pindarus in hominis encomio conatus est ad felicitatem patris alludens in carmine Pyth. X 23 *εὐδαίμων δὲ καὶ ὑμνητὸς οὗτος ἀνὴρ γίνεται σοφοῖς | ὃς ... ζώων ἔτι νεαρὸν | κατ' αἶσαν υἱὸν ἴδῃ τυχόντα στεφάνων Πυθίων.*

Pro firma denique atque inveterata salutatione apud Euripidem formulam invenimus in Ione 308 *σὺ δ' εἶ τίς; ὡς σου τὴν τεκοῦσαν ὤλβισα* et in Hypsipyla Ox. Pap. VI p. 33 no. 852 fr. I 5 *ὦ μακαρία σφων ἡ τεκοῦσ' ἥτις ποτ' ἦν.* Quam formulam non poeticae elocutioni propriam, sed etiam in cotidiano sermone usitatam fuisse ex ea re concludi potest, quod etiam apud Petronium occurrit 94, 1: 'O felicem' inquit 'matrem tuam, quae te talem peperit'.

Vel consanguinei omnes gloriae, quae a cognatis comparatur, participes fiunt. Qua de causa hi quoque beati praedicantur veluti Nausicaae fratres Od. VI 155 *τρισμάκαρες δὲ κασίγνητοι* vel *συνήκοοι* Platonis loco leg. IV 711 e *μακαρίως μὲν αὐτὸς ζῇ, μακάριοι δὲ οἱ συνήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος στόματος ἰόντων λόγων.*

Sed parentibus cognatisque beatiorem eum dicit Homerus, qui novam nuptam in matrimonium ducturus est *κεῖνος δ' αὖ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων | ὅς κέ σ' ἐέδνοισι βρίσας οἶκόνδ' ἀγάγηται.* Matrimonii sancta consuetudine instituta atque firmata fidae uxoris possessio inter humanae vitae bona ad felicitatem maxime necessaria est, cuius rei ex nimia testimoniorum abundantia[1] unum afferam, praeclara Ulixis verba Od. VI 182 *οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον | ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον | ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσιν, | χάρματα δ' εὐμενέτῃσιν· μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.* Quia tali matrimonio gaudet Ulixes, beatus vocatur ab Agamemnone, qui ipse nefaria uxoris manu trucidatus meliori comitis sorti invidet Od. XXIV 192 *ὄλβιε Λαέρταο πάις πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ, | ἦ ἄρα σὺν μεγάλῃ ἀρετῇ ἐκτήσω ἄκοιτιν. | ὡς ἀγαθαὶ φρένες ἦσαν ἀμύμονι Πηνελοπείῃ, | κούρῃ Ἰκαρίου.*

Ut mariti praedicatio, quam hic quasi ex invidiae affectu nasci videmus, firma loquendi formula fieret, multum valuit

[1] V. L. Schmidt l. l. 175 sqq.

nuptialis usus, quem ex variis litterarum Graecarum locis cognoscimus. Ordiamur ab Ioannis Tzetzae annotatione Proleg. ad Lycophr. I 260 Mueller *ἐπιθαλαμιογράφοι δὲ ποιηταὶ ὅσοι πρὸς τοὺς νυμφίους ἐν γάμοις ἐγκώμια ἔγραφον, οἷος ἦν ὁ Ἀγαμήστωρ ὁ Φαρσάλιος καὶ ἕτεροι καὶ Ἡσίοδος αὐτὸς γράψας ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν· τρισμάκαρ Αἰακίδη καὶ τετράκις, ὄλβιε Πηλεῦ, ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις.* E quibus Tzetzae verbis concluderemus versus Hesiodi petitos esse ex nuptiali carmine, id quod falsum esse scimus, ex quo integrum fere horum versuum contextum novimus e papyro Argentoratensi, quam primus edidit Reitzenstein [1] (fr. 81 Rzach):

Φθίην ἐξίκετο, μητέρα μήλων
πολλὰ κ⟩τήματ' ἄγων ἐξ εὐρυχόρου Ἰαωλκοῦ
Πηλεὺς⟩ Αἰακίδης, φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσιν.
λαοῖσιν⟩ δὲ ἰδοῦσιν ἀγαίετο θυμὸς ἅπασιν,
ὥς τε πό⟩λιν ἀλάπαξεν ἑύκτιτον ὥς τ' ἐτέλεσσεν
ἱμερόεντα γάμον καὶ τοῦτ' ἔπος εἶπαν ἅπαντες·
τρισμάκαρ Αἰακίδη καὶ τετράκις, ὄλβιε Πηλεῦ
. . . . . *δῶρον Ὀλύμπιος εὐρύοπα Ζεὺς*
. . . . . *μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν*
ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνων
. . . . . *πα⟩τὴρ ποίησε Κρονίων*
. . . . . *περί τ' ἄλλων ἀλφηστάων*
. . . . . *χθονὸς ὅσσοι καρπὸν ἔδουσιν.*

Primo obtutu apparet non verum Tzetzam dixisse, sed narrari Peleum Iolco deleta domum redire cum Thetide uxore salutatum laetis civium acclamationibus. Quibus nihil commune est cum carminibus illis, quae veteres epithalamia vel hymenaeos appellabant, nisi quod salutatur maritus, qui novam nuptam primum introducit in domum suam [2]. Similis est condicio, quam Admetus uxoris mortem deplorans describit, ubi nuptiarum memor haec dicit: Eur. Alc. 915 *τότε μὲν πεύκαις σὺν Πηλιάσιν | σύν θ' ὑμεναίοις ἔστειχον ἔσω | φιλίας ἀλόχου χέρα βαστάζων. | πολυάχητος δ' εἵπετο κῶμος | τήν τε θανοῦσαν*

[1] *Herm.* XXXV 1900, 78sqq. [2] Reitzenstein l. l. 80.

κἄμ' ὀλβίζων | ὡς εὐπατρίδαι καὶ ἀπ' ἀμφοτέρων | ὄντες ἀριστέων σύζυγες ἦμεν. | νῦν δ' ὑμεναίων γόος ἀντίπαλος κτλ. Hic quoque de incompositis comitum acclamationibus potius quam de poetae carmine nuptiali cogitandum esse, quamquam hymenaei nomen usurpatur, contextu cognoscitur, imprimis vocibus πολυάχητος κῶμος, γόος ἀντίπαλος. Eodem pertinent ea, quae recentiores nonnulli scriptores praebent velut Longus Past. IV 33 p. 177, 47 Hirschig (de Daphnidis et Chloae nuptiis) ὅλη γὰρ ἐκίττα ἡ πόλις ἐπὶ τῷ μειρακίῳ καὶ τῇ παρθένῳ καὶ εὐδαιμόνιζον μὲν ἤδη τὸν γάμον. ηὔχοντο δὲ καὶ τὸ γένος ἄξιον τῆς μορφῆς εὑρεθῆναι τῆς κόρης, Charito de Chaer. et Callir. I 1, p. 416, 49 (de Chaereae et Calirrhoae nuptiis) πάντες δὲ Χαιρέαν μὲν ἐθαύμαζον, Καλλιρρόην δ' ἐμακάριζον, Stat. Silv. I 2, 236 in epithalamio: '*Felices* utrosque *vocant*, sed in agmine plures | invidere viro'.

Ex horum locorum similitudine satis apparet usitatum fuisse praedicare sponsum et sponsam in ipsis nuptiis ob pulchritudinem, generis nobilitatem, cetera bona, quibus matrimonium felix ac faustum redditur. Quibus praedicationibus vulgus palam testatur admirationem suam, novae nuptae et mariti laetitiae participem se praebet. Hac consuetudine factum est, ut macarismi formula transiret in genus carminum, quae in nuptiis cantabantur, epithalamii sive hymenaei. Hoc igitur Tzetzae vel auctori eius Hesiodum epithalamiographum vocanti concedendum est formulam, qualis Hesiodo ascribitur, in his carminibus fuisse usitatissimam, id quod nos quoque ex huius generis reliquiis cognoscimus. Ex quibus ad morem illum acclamationum incompositarum proxime accedunt versus Aristophanis, quem epithalamii speciem et in Pacis et in Avium exitu imitatum esse constat. Utrumque canticum a macarismo initium capit: Pac. 1332 ὦ τρίσμακαρ ὡς δικαίως τἀγαθὰ νῦν ἔχεις; Av. 1721 περιπέτεσθε μάκαρα μάκαρι σὺν τύχᾳ. ὦ φεῦ φεῦ τῆς ὥρας τοῦ κάλλους. ὦ μακαριστόν σου γάμον τῇδε πόλει γήμας. Qui Avium locus bene demonstrat formulam quasi emergentem ex incompositis admirationis ac delectationis exclamationibus. Eundem hymenaei morem Euripides sequitur in Troadum cantico, ubi Cassandra delirans sibi ipsa nuptiale carmen cantat: 311 μακάριος ὁ

γαμέτας, | μακαρία δ' ἐγὼ βασιλικοῖς λέκτροις | κατ' Ἄργος ἁ γαμουμένα, et in Phaethontis fragmento, ubi Phaethontem Venerem uxorem ducturum chorus affatur, Eur. fr. 781, 27 N. ὦ μακάρων βασιλεὺς μείζων ἔτ' ὄλβον ὃς θεὰν κηδεύσεις[1]. Sed ne iis quidem carminibus, quae ab ipsis carminum nuptialium poetis componebantur, defuisse macarismum et ex Sapphus fragmento discimus, fr. 99 Bergk ὄλβιε γαμβρέ, σοὶ μὲν δὴ γάμος ὡς ἄραο, ἐκτετέλεστ' | ἔχης δὲ παρθένον ἣν ἄραο, et ex simillimo Theocriti in Epithalamio Helenae versu 16 ὄλβιε γάμβρ' ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ σοι | ἐς Σπάρταν[2].

Praeter admirationem atque laetitiam in hoc macarismorum genere formando aliam quoque vim valuisse ex aliquot scriptorum testimoniis discimus, qui macarismi omen haud evasisse narrant. E. g. in Euripidis Andromacha Pelei orbi ac deserti quaerimoniis intericit chorus: v. 1218 μάτην δέ σ' ἐν γάμοισιν ὤλβισαν θεοί, similiterque Ovidius de Pirithoi et Hippodamiae nuptiis refert, Metam. XII 215: 'Ecce canunt Hymenaeon et ignibus atria fumant, | cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva | praesignis facie; felicem diximus illa | coniuge Pirithoum, quod paene fefellimus omen'. Si omen falli potest, apparet sensisse veteres in talibus macarismis ominandi quandam facultatem. Hac igitur formula pronuntiata commodum aliquod eventurum putabant. Nam repetenda sunt haec a vetustissima hominum superstitione, quae ipsis verbis tribuebat vim magicam vel nocendi vel utilitatem praebendi[3]. Quae verborum vis pulchritudinis ceterorumque bonorum, quae praedicantur, possessionem ipsa praedicatione adeo confirmat, ut in futurum quoque tempus immutata atque incorrupta maneat. Sic fit, ut macarismus proprie aeque ac totum carmen nuptiale quasi pro benedictione adhiberi possit, id quod e. g. ex Euripidis Helenae versibus discimus, ubi Menelaus dicit 637 ἔχω τὰ τῆς Διός τε λέκτρα Λήδας θ' | ἃν ὑπὸ λαμπάδων κόροι λεύκιπποι | ξυνομαίμονες

[1] Haec verba ad Phaethontem referenda esse nuper docuit v. Wilamowitz *Sappho und Simonides* 38, 1.

[2] V. W. Koerber, De Graecorum hymenaeis et epithalamiis. Diss. Vratisl. 1877, 42; G. Kaibel *Herm.* XXVII 1892, 250.

[3] V. e. g. Rieß *PW* I 88sq.; M. Nilsson *Primitive Religion* 80.

ὤλβισαν, ὤλβισαν | τὸ πρόσθεν, ἐκ δόμων δὲ νοσφίσας σ' ἐμοῦ | πρὸς ἄλλαν ἐλαύνει | θεὸς συμφορὰν τᾶσδε κρείσσω.

Matrimonii laudibus iam antiquitus alii mulieres omni opprobrio vitioque depravatas esse opponebant. Quae sententia eo crebrius defenditur, quo libera re publica deleta hominum mentes circa domesticam vitam magis detineantur[1]. Hinc iis invidebatur, qui matrimonii sollicitudinum expertes vitam curis solutam agebant. Cuius rei testimonia per novam comoediam passim inveniuntur interdum macarismi formam exhibentia, velut Menandri illud Adelph. fr. 1 *ὦ μακάριόν με· γυναῖκα οὐ λαμβάνω*[2]. Propriam Graecorum comicorum consuetudinem iam Terentius agnovit, cum Menandri locum vertens scriberet Adelph. 43: 'Quod fortunatum isti putant, uxorem numquam habui'[3].

Inter eas res, quae praeter uxorem et liberos beatitudinem efficiunt, primo loco memorandae sunt divitiae[4], quas quanti Graeci aestimaverint, vel ex ea re cognovimus, quod divites proprie vocabulis *ὄλβιος* et *εὐδαίμων* designabant (supra 6, 14)[5]. Itaque iam apud Homerum, qui, ubicumque regum felicitatem describit, divitiarum mentionem facit[6], ex opulentiae amore et admiratione divitis praedicationem nasci videmus Od. XV 537 *τῷ κε τάχα γνοίης φιλότητά τε πολλά τε δῶρα | ἐξ ἐμεῦ, ὥς ἄν τίς σε συναντόμενος μακαρίζοι*[7]. Insequentis quoque aetatis homines possessionis studium libere professos esse unius Solonis

---

[1] V. M. Wundt *Geschichte der Gricchischen Ethik* II 48.

[2] V. praeterea Antiphan. fr. 56; Alexis fr. 146; Xenarch. fr. 14; Menand. fr. 302, 5; 532, 16; 585. A comico poeta fortasse pendet Automedon A. P. XI 50 *Εὐδαίμων πρῶτον μὲν ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων, εἶτα δ' ὁ μὴ γήμας· τὸ τρίτον ὅστις ἄπαις.*

[3] V. Mommsen *Röm. Gesch.* II 435.

[4] De divitiarum apud Graecos aestimatione v. quae contulerunt Schmidt l. l. II 378sqq.; Mahaffy *Social life in Greece* 70; M. Wundt *Geschichte der Griechischen Ethik* I 82.

[5] Etiam locutiones *πλούσιος καὶ ὄλβιος* Plut. Mor. 1058b; Schol. Aristoph. Plut. 180; *πλούσιος καὶ εὐδαίμων* Lucian. Alex. 8; Anecdot. Oxon. I 321, 4; *πλούσιος καὶ μακάριος* Plut. Mor. 194a; Artaxerx. XII 1017; Liban. Or. VIII 7 p. 387, 11 Foerster artam divitiarum felicitatisque societatem indicant.

[6] V. Il. XVI 596; XXIV 536; 546; Od. XIV 206.

[7] Iidem versus leguntur Od. XVII 165; XIX 311.

exemplum satis demonstrat (fr. 13, 3 sqq. B.). Epiniciorum poetae praeter victoriae gloriam fortunae possessionem imprimis laude sua exornant. E quibus Bacchylides bis macarismi formula usus est III 10, ubi vulgus exclamans facit ἆ *τρισευδαίμων ἀνὴρ | ὃς παρὰ Ζηνὸς λαχὼν | πλείσταρχον Ἑλλάνων γέρας | οἶδε πυργωθέντα πλοῦτον μὴ μελαμ|φαρέι κρύπτειν σκότῳ·* et V 50 ipse Hieronis victoriam praedicans *ὄλβιος ᾧ τινι θεὸς | μοῖράν τε καλῶν ἔπορεν | σύν τ' ἐπιζήλῳ τύχᾳ | ἀφνεὸν βιοτὰν διάγειν.*

Bacchylidi ceterisque huius generis poetis opulentia pars est splendoris nobilitatisque, quae hominum vitam caram ac beatam reddunt. Iam vero horum bonorum aestimatio minuitur vehementi impetu eorum, qui in externis bonis felicitatem constare negant. Qui divitiarum contemptores tam acriter in auri argentique famem invecti sunt, ut talium bonorum laudem omnino fere ex litteris pepulerint. Qua de causa locupletum praedicationem ex scriptoribus non cognoscimus, nisi ipsis adversariorum divitiarum laudem castigantium querimoniis usi. Ex infinita harum copia quoniam Euripidis, Democriti, Platonis locos supra iam exscripsimus (16, 20 ann. 3, 20 ann. 1), admodum pauca afferamus, quae vulgarem divites praedicandi consuetudinem quodam modo resonant.

Euripides, quem inter aetatis suae vitia divitiarum cupiditatem inprimis vituperavisse constat[1], virtutem nihil valere queritur, fr. 326, 3 N. *οἳ δ' οὐδὲν ἦσαν πρόσθεν, ὄλβιοι δὲ νῦν| δόξαν φέρονται τοῦ νομίσματος χάριν | καὶ συμπλέκοντες σπέρμα καὶ γάμους τέκνων. | δοῦναι δὲ πᾶς τις μᾶλλον ὀλβίῳ κακῷ | πρόθυμός ἐστιν ἢ πένητι κἀγαθῷ. | κακὸς δ' ὁ μὴ 'χων, οἳ δ' ἔχοντες ὄλβιοι.*

Ex recentioribus comici et diatribarum scriptores praecipue multi sunt in *φιλοπλουτίᾳ* castiganda. Comici vel per irrisionem ipsos histriones divitiarum possessionem laudare faciunt veluti Timocles fr. 4 Kock: *A. Δημοσθένης τάλαντα πεντήκοντ' ἔχει. B. μακάριος, εἴπερ μεταδίδωσι μηδενί. A. καὶ Μοιροκλῆς εἴληφε χρύσιον πολύ. B. ἀνόητος ὁ διδούς, εὐτυχὴς δ' ὁ λαμβάνων.* Ut Latini imitatoris exemplum afferam, Pom-

[1] V. Nestle l. l. 328 sqq.

ponius fr. 159 Ribbeck: 'Hominem beatum quo illae pervenibunt divitiae'. Aut id quod ipsi felicitatis condicionem putant, communi opinioni opponunt, velut Apollodorus fr. 11 *οὐ δεῖ λέγειν γὰρ μακάριον τὸν χρήματα | ἔχοντα πλεῖστα, τὸν δὲ μὴ λυπούμενον*[1] et Menander, qui rectum divitiarum usum a mente bona pendere censet fr. 114 Kock *μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει· χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς*[2].

Similem rationem in castiganda laude divitiarum adhibent philosophi, inter quos stoicos atque cynicos vehementissimos fuisse locupletum adversarios inter omnes constat[3]. Quorum morem, quem ex parvis, quae exstant, fragmentis vix cognosceremus, recentiores illi diatribarum imitatores nos docent. Lucianus e. g. procul dubio aliquem philosophum secutus est, cum falsam divitiarum admirationem illuderet, Nigr. 23 *οὐκ ἂν οἴει αὐτοὺς ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας τῶν πτωχῶν δεομένους τοὺς πλουσίους μὴ ἀθέατον αὐτῶν μηδ' ἀμάρτυρον τὴν εὐδαιμονίαν καταλιπεῖν μηδ' ἀνόνητόν τε καὶ ἄχρηστον τῶν τραπεζῶν τὸ κάλλος καὶ τῶν οἴκων τὸ μέγεθος; οὐ γὰρ οὕτω τοῦ πλουτεῖν ἐρῶσιν, ὡς τοῦ διὰ τὸ πλουτεῖν εὐδαιμονίζεσθαι*[4]. Ex Romanis scriptoribus duos affero, qui vulgarem consuetudinem vituperant, Horatium carm. IV 9, 45: 'Non possidentem multa vocaveris recte beatum' et Senecam ep. 45 (V 4), 9: 'Beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit', hos quoque Stoici vel Cynici philosophi sectatores.

Iis, quae de divitiarum laude diximus, asseramus simillimam regis vel tyranni praedicationem. Solebant enim Graeci regis vel tyranni imagine uti, ut omnia fortunarum bona in unam personam conferrent. In qua regiae potestatis laude

---

[1] De *ἀλυπίας* laude v. infra 54. Ad locum cf. Henseum ad Teletem 37, 6; ad Musonium 93, 13.

[2] De hoc comoediae et diatribae *τόπῳ* vide G. A. Gerhard *Phoinix von Kolophon* 113.

[3] V. Heinze, De Horatio Bionis imitatore. Diss. Bonn. 1889, 18sq.; Wendland *Philo und die kynisch-stoische Diatribe* 18; J. Geffcken *Kynika und Verwandtes* 41; Gerhard l. l. 51.

[4] Cf. Luc. de merc. cond. 16 *καὶ ἄρτι μὲν εὐδαιμονίζεις τὸν πλούσιον*; de dom. 5 *εὐδαιμονισμὸς τῶν ἐχόντων*.

praeter divitiarum amorem alterum studium, Graecorum naturae penitus insitum, imperandi dico cupiditatem, adeo valebat, ut saepissime non diiudicari possit, utrum divitias regum magis admirati sint an potentiam. Certe quidem Homericae aetati regendi illa facultas summum bonum est visum, id quod ex ipsa regum potentium laude manifestum est. Hac mente Priamus in tertio Iliadis libro immanem Graecorum copiam admirans exclamat III 182 *ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον, | ἦ ῥά νύ τοι πολλοὶ δεδμήατο κοῦροι Ἀχαιῶν* et Achillem etiam mortuum ceterorum regem beatum Ulixes appellat Od. XI 482 *σεῖο δ' Ἀχιλλεῦ | οὔ τις ἀὴρ προπάροιθε μακάρτερος οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω. | πρὶν μὲν γάρ σε ζωὸν ἐτίομεν ἶσα θεοῖσιν | Ἀργεῖοι, νῦν αὖτε μέγα κρατέεις νεκύεσσιν | ἐνθάδ' ἐών· τῷ μή τι θανὼν ἀκαχίζευ, Ἀχιλλεῦ.*

Sed iam Homerus regum potentiam laudans non tam praesentem statum celebrat quam praeteritum desiderat, quippe qui ipse veteris dignitatis non nisi reliquias viderit[1].

Recentioris vero aetatis homines, a quibus regia potestas omnino aliena est, omnes has cogitationes in remotas atque incognitas regiones transferre coacti sunt[2], cum in Gygen *τὸν πολύχρυσον* (Archiloch. fr. 25 B.) atque Croesum tum in Persarum reges, quorum divitiae et potentia in proverbio per saecula manebant[3]. In cuius bonis quae maxime admirati sint Graeci, Xenophontis locus bene demonstrat Anab. III 1, 19 *οὔποτε ἐπαυόμην βασιλέα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ μακαρίζων διαθεώμενος αὐτῶν ὅσην μὲν χώραν καὶ οἵαν ἔχοιεν, ὡς ἄφθονα τὰ ἐπιτήδεια ὅσους δὲ θεράποντας ὅσα δὲ κτήνη χρυσὸν δὲ ἐσθῆτα δέ.*

Sed quas ob causas divitiarum laudes rarius occurrere in litteris supra videbamus, etiam reges tyrannique haud saepe praedicantur; nam in horum quoque admirationem philosophi

[1] V. Eduard Meyer *Geschichte des Altertums* II 345.

[2] V. v. Wilamowitz *Staat und Gesellschaft der Griechen* 55.

[3] Exempla collegit v. Wilamowitz *Heracles*[2] 359. Ut unum locum afferam, Plat. Euthyd. 274a *μακαρίζω ἄρ' ὑμᾶς ἔγωγε τοῦ κτήματος πολὺ μᾶλλον ἢ μέγαν βασιλέα τῆς ἀρχῆς.* Ex recentioribus scriptoribus enotavi Chariton. III 2 p. 440, 10 Hirschig; Dio Chrys. VI 7; Epictet. Diss. III 22, 60; Lucian. vit. auct. 9. De eiusdem formulae apud Romanos usu v. A. Otto *Sprichwörter der Römer* s. v. Persa.

ac poetae adeo invecti sunt, ut ex laudatoribus nemo fere, quid sentiret, pronuntiare auderet. Qua de causa etiam tyrannorum laudem ex adversariorum castigatione restituere coacti sumus. Sed ex ipsis horum adversariorum querelis satis apparet, quam pervulgata fuerit tyrannicae potentiae admiratio; neque in libera quidem Atheniensium re publica defuisse, qui tyrannorum felicitatem laude efferrent, tragicorum, comicorum, philosophorum in vituperando consensus docet. E singulis litterarum generibus singula exempla proferam, quae communem tyrannos praedicandi morem demonstrant: Eur. Phoen. 549 *τί τὴν τυραννίδ', ἀδικίαν εὐδαίμονα, | τιμᾶς ὑπερφεῦ καὶ μέγ' ἤγησαι τόδε;* Polyzel. fr. 11 Kock *ὁ μαινόμενος ἐκεινοσὶ Διονύσιος | χρυσοῦν ἔχων χλίδωνα καὶ τρυφήματα | ἐν τῷ μύρῳ παρ' Ἀθηναίων μακαρίζεται.* | Plat. Resp. I 344 b *ἐπειδὰν δέ τις πρὸς τοῖς τῶν πολιτῶν χρήμασιν καὶ αὐτοὺς ἀνδραποδισάμενος δουλώσηται ἀντὶ τούτων τῶν αἰσχρῶν ὀνομάτων εὐδαίμονες καὶ μακάριοι κέκληνται οὐ μόνον ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ὅσοι ἂν πύθωνται αὐτὸν τὴν ὅλην ἀδικίαν ἠδικηκότα.*

Diadochorum et imperatorum aetate iidem, qui in divitiarum famam incurrunt, philosophi stoici atque cynici etiam regum tyrannorumque luxuriam similibus argumentis condemnant[1]. Magis vero quam ipsos principes, adulatores insectati sunt, quos ob regis vel imperatoris amicitiam beatos praedicari cavillantur, veluti Epictetus Diss. IV 7, 21 *ἀλλ' ὅταν ἀκούσω τινὰ μακαριζόμενον, ὅτι τιμᾶται ὑπὸ τοῦ Καίσαρος*, et Lucianus Necyom. 12 *ὁ δὲ μόγις ἄν ποτε ἀνατείλας αὐτοῖς πορφυροῦς τις ἢ περίχρυσος ἢ διαποίκιλος εὐδαίμονας ᾤετο καὶ μακαρίους ἀποφαίνειν τοὺς πρυσειπόντας, ἢν τὸ στῆθος ἢ τὴν δεξιὰν προτείνων δοίη καταφιλεῖν*[2].

---

[1] V. E. Weber, De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore. *Leipz. Stud.* X 1887, 92 sqq.

[2] Similiter Polystratus senex Luc. Dial. mort. IX 2 de adulatoribus dicit *καὶ μακάριος ἦν αὐτῶν ὁντινα μόνον προσέβλεψα*; etiam formulam in imperatorum cultu usitatam in hoc contextu afferre liceat; cf. Ov. ex Pont. II 2, 93: 'Felices, quibus o licuit spectare triumphos | et ducis ore deos aequiperante frui'; Calpurn. VII 73; Acta fratr. arv. 197 Henzen: 'Felicissime! felicissime! ... o nos felices, qui te imperatorem videmus'; vit. Alex. Sev. 6, 5: 'Felices nos imperio tuo, felicem rem p'.

Pergamus in enumerandis iis rebus, quae vulgo inter bona humana habentur. Amorem saepissime per formulam macarismi praedicatum invenimus, licet vetustissimae aetatis testimoniis careamus ea quidem de causa, quod amoris delectationes describere ab antiquissima epicorum poesi plane alienum est. Nec lyrici muliebris sexus mentionem faciunt, Mimnermo, Ionico poeta, excepto, puerorum vero consuetudinem commendant a Doribus importatam et ab omnibus Graeciae gentibus receptam [1]. Quam Theognis etiam, omnium vitae deliciarum amator, una cum venatione et arte gymnastica felicitatis quasi fundamentum censet formula saepius usus 1253 *ὄλβιος ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι, | θῆρευταί τε κύνες καὶ ξένοι ἀλλοδαποί* [2]; 1335 *ὄλβιος ὅστις ἐρῶν γυμνάζεται, οἰκάδε δ' ἐλθὼν | εὕδει σὺν καλῷ παιδὶ πανημέριος*; 1375 *ὄλβιος ὅστις παιδὸς ἐρῶν οὐκ οἶδε θάλασσαν οὐδέ οἱ ἐν πόντῳ νὺξ ἐπιοῦσα μέλει* [3].

Recentioris aetatis homines puerilem amorem, quamquam minoris, non tamen nullius aestimavisse videbimus [4]. Tragici sane, Aeschylus atque Sophocles, omnino amoris perniciosam vim vitandam potius quam quaerendam esse dicunt, nec non Euripides cum huius affectus motus maxima subtilitate excoleret, modicum amorem, qui nimiae libidini non indulgeat, celebrat Iph. Aul. 543 *μάκαρες οἳ μετρίας θεοῦ | μετά τε σωφροσύνας μετέ|σχον λέκτρων Ἀφροδίτας, | γαλανείᾳ χρησάμενοι | μαινόμεν' οἴστρων . . .* 554 *εἴη δέ μοι μετρία μὲν | χάρις, πόθοι δ' ὅσιοι, | καὶ μετέχοιμι τᾶς Ἀφροδί|τας, πολλὰν δ' ἀποθείμαν*, ubi poeta macarismi formulam adhibuit, ut summam quasi sapientiae diuturna observatione comparatae pronuntiaret, quam aliis quoque locis saepius expressit, velut in praeclaro Hippolyti cantico precationis forma usus Hippol. 525 *Ἔρως, Ἔρως ὁ κατ' ὀμμάτων | στάζεις πόθον εἰσάγων γλυκεῖαν | ψυχᾷ χάριν οὓς ἐπιστρατεύσῃ, | μή μοί ποτε σὺν κακῷ φανείης | μηδ' ἄρρυθμος ἔλθοις* [5].

[1] V. Bethe in Mus. Rhen. LXII 1907, 440sq.; v. Wilamowitz *Sappho und Simonides* 188.

[2] Est Solonis fr. 23 Bergk. De Solone puerorum amatore v. Bethe l. l. 441.

[3] De rerum navalium periculis Graecarum litterarum loco v. infra 58.

[4] V. exempla infra 42 exscripta.

[5] Similes sententiae inveniuntur Hippol. 253; Helen. 1102; Med. 627;

Alexandrinae demum aetatis scriptores, quippe qui fuerint amatorii carminis tantum non inventores, etiam macarismum in praedicandis voluptatis deliciis [1] crebrius usurpaverunt, cum bucolici veluti Theocritus XII 34 *ὄλβιος ὅστις παισὶ φιλήματα κεῖνα διαιτᾷ* [2] et Bion VIII 1 *ὄλβιοι οἱ φιλέοντες ἐπὴν ἴσον ἀντεράωνται,* tum epigrammatum poetae, quibus, ut omnem libidinis delectationem exhauriant, linguae thesauri vix sufficiunt. Saepissime molli quadam abundantia non ipse qui amat praedicatur, sed res vitae expers, quae aliqua ratione cum puero vel puella amata cohaereat. Exemplo utamur Meleagri carmine A. P. V 170 *τὸ σκύφος ἀδὺ γέγηθε· λέγει δ' ὅτι τᾶς φιλέρωτος | Ζηνοφίλας ψαύει τοῦ λαλίου στόματος· | ὄλβιον· εἴθ' ὑπ' ἐμοῖς νῦν χείλεσι χείλεα θεῖσα | ἀπνευστὶ ψυχὰν τὰν ἐν ἐμοὶ προπίοι*; vel Stratonis A. P. XII 208 *εὐτυχές, οὐ φθονέω, βιβλίδιον· ἦ ῥά σ' ἀναγνοὺς | παῖς τις ἀναθλίβει πρὸς τὰ γένεια τιθείς* [3]. Qui usus etiam in Romanorum poesin transiit, ex qua affero Ovidii versus carminibus modo exscriptis simillimos Heroid. XVIII 15: protinus haec scribens 'felix i littera' dixi | 'iam tibi formosam porriget illa manum. | Forsitan admotis etiam tangere labellis, | rumpere dum niveo vincula dente volet' [4].

fr. 503; Cercidas Ox. Pap. VIII p. 33 col. IV v. 5. Cf. H. Kalckreuter *Die μεσάτης bei und vor Aristoteles.* Diss. Tubing. 1911 passim.

[1] Contra in dissuadendo nimio amore macarismus usurpatur Bion. IX 13 *ὄλβιος ἔσσῃ εἰσόκε μή νιν ἕλῃς* (scil. Amorem); Tibull. II 1, 80: 'Felix, cui placidus leniter afflat Amor'; carm. de ave Phoenice 163: 'Belua felix, | felix, quae Veneris foedera nulla coit'.

[2] Agitur de Dioclis feriis, de quibus v. schol. ad v. 28.

[3] V. praeterea A. P. V 93, 3; 194, 5; 286, 7; XII 189; 190; 217, 5; 256, 11.

[4] Alia, quae eundem usum clare demonstrant, sunt Tibull. III 3, 26: 'O mihi felicem terque quaterque diem'. (V. Xenoph. Hellen. II 4, 7 *ὦ μακάριοι δῆτα οἳ ἂν ἡμῶν νικήσαντες ἐπίδωσι τὴν πασῶν ἡδίστην ἡμέραν*; Ter. Andr. 956; Cirin 27: 'Felix ille dies, felix et dicitur annus, | felices, qui talem annum videre diemque'; Aetnam 637; Manil. V 569; laud. Pis. 159; Calpurn. VII 73). Propert. II 15, 1: 'O me felicem! o nox mihi candida! et o tu | lectule deliciis facte beate meis' (cf. Propert. II 6, 23; Mart. X 38, 7); Ov. Heroid. XVI 188; Lydiam 9; Manil. V 572: 'Iam cautibus invidet ipsis, | felicesque vocat teneant quae membra catenas'. Stat. Silv. II 1, 231; Martial. IX 16, 5; Anthol. Lat. Senec. 40, 5; cf. etiam Lucium Patrensem imitantes Apuleium Metam. II 7; 'Felix et (certo) certius beatus, cui permiseris illuc (scil. in Fotidis ollulam) digitum intingere' et Lucianum Luc. 6 *μακάριος ὅστις ἐνταῦθα ἐνεβάψατο.*

Nescio an etiam in ipsorum amatorum laude Romani Graecorum poetarum sectatores fuerint; id quod quamquam certo confirmari non potest, quia Alexandrinae elegiae testimonio caremus, mihi quidem verisimile videtur, quia diversi auctores macarismo utuntur velut Horatius carm. I 13, 17: 'Felices ter et amplius, | quos inrupta tenet copula nec malis | divolsus querimoniis | suprema citius solvet amor die'; et Tibullus I 10, 63: 'Quater ille beatus, | quo tenera irato flere puella potest'; quorum versuum Ovidius procul dubio memor fuit, cum scriberet art. am. II 447: 'O quater et quotiens comprendere non est | felicem, de quo laesa puella dolet' [1].

Cum amoris deliciis arte cohaerent ceterae humanae vitae delectationes, inter quas in primis commemoranda est potionis ebrietatisque voluptas; quam una cum libidine praedicatam invenimus in Cyclopis Euripidei cantico 495 *μάκαρ ὅστις εὐιάζει | βοτρύων φίλαισι πηγαῖς | ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθείς, | φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων | ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν | χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας | μυρόχριστος, λιπαρὸν βό|στρυχον, αὐδᾷ δέ· θύραν τίς οἴξει μοι;* Quo cantico Euripides vulgares suae aetatis modos exprimens [2] aptissime illustrat communem, qualis tunc erat, de his bonis opinionem.

Postquam *κτήματα* singula, familiam, divitias, potentiam, amorem tractavimus, transeamus ad *ἐπιτηδεύματα* a veteribus laudata. Sed priusquam de his agamus, paucis dicendum est de gloriae amore, quippe qui ad omnes res honeste ac laudabiliter gerendas stimulos addiderit. Homericae aetati *κλέος ἐσθλόν* solam fere vitae agendae normam fuisse inter omnes constat [3], itemque de eo lyrici iudicant. Fortitudo, audacia, omnino quaecumque nobilis viri *τὴν ἀρετήν* efficiunt, non in se ipsis positum habent pretium, sed splendoris admirationisque gratia conquiruntur; nam etiam Pindaro felicitas omnis

[1] Plures, qui ad amorem pertinent, macarismi inveniuntur Tib. II 3, 29; (Tib.) IV 4, 25; Prop. I 12, 15. Ex recentioribus eroticis scriptoribus addo Luc. Dial. Mer. VII 1 *ἂν δ' ἔτι τοιοῦτον ἐρᾶστὴν εὕρωμεν, μακάριαι καὶ τριευδαίμονες ἐσόμεθα.* Alciphr. IV 9, 4 *μακαρία Φιλῶτις· τοῖς εἰμενεστέροις ὄμμασιν εἶδον ἐκείνην αἱ Χάριτες· οἷον ἐρᾶστὴν ἔχει Μενεκλείδην, ὃς καθ' ἡμέραν δίδωσί τι.*

[2] V. *Griechische Tragödien übersetzt* v. Wilamowitz tom. III 18, 1.

[3] V. Burckhardt *Kulturgeschichte* IV 37; Wundt *Ethik* I 8.

in nobili virtutis fama constat Ol. VII 11 *ὁ δ' ὄλβιος ὃν φᾶμαι κατέχοντ' ἀγαθαί.* Hanc quoque gloriae cupiditatem primi sophistae acrius castigant, a quibus pendet Euripides, ex quo exempli gratia affero versus Androm. 319 *ὦ δόξα, δόξα μυρίοισι δὴ βροτῶν | οὐδὲν γεγῶσι βίοτον ὠγκωσας μέγαν,| εὐκλεία δ' οἷς μέν ἐστ' ἀληθείας ὕπο | εὐδαιμονίζω, τοὺς δ' ἀπὸ ψευδῶν ἔχειν | οὐκ ἀξιώσω πλὴν τύχῃ φρονεῖν δοκεῖν.* Veram igitur bonis operibus comparatam gloriam ne Euripides quidem spernit, nedum ceteri auctores. Xenophon, veteris Spartiatarum nobilitatis regiaeque potestatis admirator, in Agesilao gloriae studium maxime laudandum putat Ages. X 4 *δικαίως δ' ἂν ἐκεῖνός γε μακαρίζοιτο ὃς εὐθὺς μὲν ἐκ παιδὸς ἐρασθεὶς τοῦ εὐκλεῆς γενέσθαι ἔτυχε τούτου μάλιστα τῶν καθ' ἑαυτόν.* Nec Stoici quidem et Cynici quamquam falsae gloriae cupiditatem vehementissime impugnant [1], bonam famam virtute partam plane reiciunt [2].

His de communi gloriae aestimatione praemonitis iam videamus, quibusnam negotiis veteres laudem sibi collegerint. Antiquissimi temporis homines, quorum vita diuturnis bellis explebatur, in bellica scilicet gloria felicitatem petebant [3], nec Laconica Musa aspera ac militaris quicquam canebat nisi *ἐπαίνους τῶν γενικῶς ζησάντων καὶ ὑπὲρ τῆς Σπάρτης ἀποθανόντων καὶ εὐδαιμονιζομένων* (Plut. Mor. 238 a) [4]. Bellicae virtutis laus etiam in Atheniensium orationibus funebribus locum habuit, ubi in gloria mortuorum pro patria praedicanda macarismum usurpatum invenimus [5]. Ut demonstremus firmam et ad verbum fere fixam laudationis formam fuisse, testimonia vetustiora fusius exscribere liceat: [Lys.] II 79 *προσήκει τούτους εὐδαιμονεστάτους ἡγεῖσθαι, οἵτινες*

[1] V. E. Norden, In Varronis saturas Menippeas observationes selectae, *Jahrb. f. klass. Philol.* 1892, Suppl. XVIII 340, 1.

[2] V. Gerhard *Phoinix von Kolophon* 87.

[3] V. e. g. Wundt *Ethik* I 5.

[4] Cf., quae de bellica apud lyricos laude collegit O. Schantz, De incerti poetae consolatione ad Liviam deque carminum consolatoriorum apud Graecos et Romanos historia, diss. Marburg 1889, 26.

[5] Cf. Blaß *Attische Beredsamkeit*[2] III 2, 92 cum annot. 3; E. Großmann, Quaestiones ad Graecorum orationum funebrium formam pertinentes, diss. Jen. 1908, 34; 54 sq.; 66; passim.

ὑπὲρ μεγίστων καὶ καλλίστων κινδυνεύσαντες οὕτω τὸν βίον ἐτελεύτησαν, οὐκ ἐπιτρέψαντες περὶ αὐτῶν τῇ τύχῃ οὐδ' ἀναμείναντες τὸν αὐτόματον θάνατον, ἀλλ' ἐκλεξάμενοι τὸν κάλλιστον. καὶ γὰρ ἀγήρατοι μὲν αὐτῶν αἱ μνῆμαι, ζηλωταὶ δὲ ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων αἱ τιμαί· οἳ πενθοῦνται μὲν διὰ τὴν φύσιν ὡς θνητοί, ὑμνοῦνται δὲ ὡς ἀθάνατοι διὰ τὴν ἀρετήν. καὶ γάρ τοι θάπτονται δημοσίᾳ καὶ ἀγῶνες τίθενται ἐπ' αὐτοῖς ῥώμης καὶ σοφίας καὶ πλούτου, ὡς ἀξίους ὄντας τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ τετελευτηκότας ταῖς αὐταῖς τιμαῖς καὶ τοὺς ἀθανάτους τιμᾶσθαι. ἐγὼ μὲν οὖν αὐτοὺς καὶ μακαρίζω καὶ ζηλῶ καὶ μόνοις τούτοις ἀνθρώπων οἶμαι κρεῖττον εἶναι γενέσθαι οἵτινες ἐπειδὴ θνητῶν σωμάτων ἔτυχον ἀθάνατον μνήμην[1] διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν κατέλιπον.

[Demosth.] LX 32 οἱ δ' εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ. πρῶτον μὲν ἀντὶ μικροῦ χρόνου πολὺν καὶ τὸν ἅπαντ' εὔκλειαν ἀγήρω καταλείπουσιν, ἐν ᾗ καὶ παῖδες οἱ τούτων ὀνομαστοὶ τραφήσονται καὶ γονεῖς οἱ τούτων περίβλεπτοι γηροτροφήσονται παραψυχὴν τῷ πένθει τὴν τούτων εὔκλειαν ἔχοντες. ἔπειτα νόσων ἀπαθεῖς τὰ σώματα καὶ λυπῶν ἄπειροι τὰς ψυχὰς ἃς ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσιν οἱ ζῶντες ἔχουσιν, ἐν μεγάλῃ τιμῇ καὶ πολλῷ ζήλῳ τῶν νομιζομένων τυγχάνουσιν. οὓς γὰρ ἅπασα μὲν ἡ πατρὶς θάπτει δημοσίᾳ, κοινῶν δ' ἐπαίνων μόνοι τυγχάνουσι, ποθοῦσι δ' οὐ μόνον συγγενεῖς καὶ πολῖται, ἀλλὰ πᾶσαν ὅσην Ἑλλάδα χρὴ προσειπεῖν, συμπεπένθηκε δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης τὸ πλεῖστον μέρος, πῶς οὐ χρὴ τούτους εὐδαίμονας νομίζεσθαι; οὓς παρέδρους εἰκότως ἄν τις φήσαι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι, τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχοντας τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐν μακάρων νήσοις.

Hyperid. epitaph. 24 ἆρ' οὐ διὰ τὴν τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξιν εὐτυχεῖς μᾶλλον ἢ διὰ τὴν τοῦ ζῆν ἀπόλειψιν ἀτυχεῖς νομιστέον; οἵτινες θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἐκτήσαντο καὶ διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν τὴν κοινὴν ἐλευθερίαν τοῖς Ἕλλησιν ἐβεβαίωσαν . . . . . 31 παρὰ ποίᾳ δὲ τῶν ἡλικιῶν οὐ μακαριστοὶ γενήσονται; 32 οὐκοῦν ἄξιον αὐτοὺς εὐδαιμονίζειν

[1] Immortalem gloriam mortali corpori simillimo modo opponunt et Isocrates Philipp. 134; Archidam. 109; Hyperides Epitaph. 24; Posidipp. epigr. 30 Schott = Athen XIII 596c. Fama, quae durat post mortem vel sepulcrali monumento vel poetae laude servata Romanarum litterarum locus communis est. V. Carm. Lat. ep. 1085, 4; 1256, 1; Verg. Aen. IX 446 et quae ad hunc locum contulit Ribbeck, Propert. III 2, 15; Catalept. IX 23.

ἐπὶ τοσαύτῃ τιμῇ; 42 *εἰ δὲ γήρως θνητοῦ μὴ μετέσχον*[1]*, ἀλλ' εὐδοξίαν ἀγήρατον εἰλήφασι, εὐδαίμονές τε γεγόνασι κατὰ πάντα.*

Praeter rerum laudatarum similitudinem hi macarismi etiam hoc commune habent, quod certum locum tenent sub fine epitaphiorum, utpote consolationis pars, qua familiae civiumque dolor mitigetur[2].

Sed eo, unde orsi sumus, revertamur, ad singula *ἐπιτηδεύματα* perlustranda. Ex quibus ea, quae praeter bellicas expeditiones omnem fere nobilium vitam antiquioribus quidem temporibus consumebant, supra iam (41) in Theognidis versibus commemorata invenimus venationem[3] atque *ἱπποτροφίαν*. Accedunt gymnicae exercitationes altero Theognidis loco laudatae. Quibus omnibus et corpus sanum[4], validum[5], pulchrum[6] reddebatur, quod quanti pretii huic aetati fuerit inter omnes constat, quo gloria comparabatur inter aequales. Nam petebatur his exercitationibus in ludis certaminibusque victoria, qua maiorem felicitatem, qui tum erant, homines sibi fingere

[1] De senectutis molestia v. infra 53.

[2] V. Dionys. Hal. Rhet. VI 4, 264; Xaver Huerth, De Gregorii Nazianzeni orationibus, diss. Philol. Argent. XII 1, 1907, 12 sq. Praedicationis usus ex epitaphio etiam in encomia transit (cf. Isocr. Euag. 70; Xenoph. Ages. X 4; Huerth l. l.; G. Fraustadt, Encomiorum in litteris Graecis usque ad Romanam aetatem historia, diss. Lips. 1909, 69) et in laudationes funebres recentioris aetatis (cf. Senec. dial. VI 26, 7; Dio Chrys. or. XXVIII 12; XXIX 19 sqq.; Ael. Arist. XXXI 18; Himer. or. XXIII 23). Christiani quoque oratores usum retinuerunt (Huerth l. l. 68, 70; J. Bauer *Die Trostreden des Gregorios von Nyssa in ihrem Verhältnis zur antiken Rhetorik*, diss. Marburg 1892, 27 sq.; v. praeterea Choric. Epitaph. Procop. p. 21 Boiss.; Epitaph. in Mariam 48). Addam, quod etiam in Panathenaico Isocrateo discipulus Isocratem praeceptorem laudans epitaphii morem secutus esse mihi videtur Panath. 260 *νῦν δὲ ζηλῶ σε καὶ μακαρίζω τῆς εὐδαιμονίας· δοκεῖς γάρ μοι ζῶν μὲν λήψεσθαι δόξαν οὐ μείζω μὲν ἧς ἄξιος εἶ, χαλεπὸν γάρ, παρὰ πλείοσι δὲ καὶ μᾶλλον ὁμολογουμένην τῆς νῦν ὑπαρχούσης, τελευτήσας δὲ τὸν βίον μεθέξειν ἀθανασίας, οὐ τῆς τοῖς θεοῖς παρούσης, ἀλλὰ τῆς τοῖς ἐπιγιγνομένοις περὶ τῶν διενεγκόντων ἐπί τινι τῶν καλῶν ἔργων μνήμην ἐμποιούσης.*

[3] Venatio laudatur Hippon. fr. 22a Bergk; Gratt. Cyn. I 95.

[4] De bonae valetudinis aestimatione v. e. g. Scol. VIII 1 Bergk et Ariphronis hymnum in *Ὑγίειαν*, Ath. XV 702 A et Kaibel, Epigr. gr. 1027, 7 sqq.

[5] Cf. e. g. *μακαρίζειν τὴν ῥώμην* Herod. I 31; supra 29.

[6] Corporis pulchritudo praedicatur Theogn. 933 (*ἀρετὴ καὶ κάλλος*); Aeschin. in Tim. 133; Dio Chrys. VIII 27; XXIX 7; Lucian. dial. deor. XX 13.

non poterant[1]. Qua de causa non miramur, quod et in equestribus et in gymnicis certaminibus praedicandis epiniciorum poetae saepius adhibent macarismi formulam, qui ut in epitaphio ita in epinicio quoque certum plerumque locum obtinet in laude victoris, quae prooemium subsequitur[2]. Exempla, quae Pindarus et Bacchylides praebent, exscribam, ut in hoc quoque litterarum genere macarismum firmum ac definitum loquendi genus esse demonstrem: Pyth. V 20 *μάκαρ δὲ καὶ νῦν, κλεεννᾶς ὅτι | εὔχος ἤδη παρὰ Πυθιάδος ἵπποις ἐλὼν | δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀνέρων | Ἀπολλώνιον ἄθυρμα*; ibid. 46 *μακάριος ὃς ἔχεις | καὶ πεδὰ μέγαν κάματον | λόγων φερτάτων | μναμήια*. Pyth. X 22 *εὐδαίμων δὲ καὶ ὑμνητὸς οὗτος ἀνὴρ γίνεται σοφοῖς | ὃς ἂν χερσὶν ἢ πόδων ἀρετᾷ κρατήσαις | τὰ μέγιστ' ἀέθλων ἕλῃ τολμᾷ τε καὶ σθένει*. Nem. XI 11 *ἄνδρα δ' ἐγὼ μακαρίζω μὲν πατέρ' Ἀρκεσίλαν | καὶ τὸ θαητὸν δέμας ἀτρεμίαν τε σύγγονον*[3]. Vide etiam Bacchyl. III 8; V 50 (v. supra 11); VII 8 (invocatur Dies victoriae) *ᾧ δέ συ πρεσβύτατον νείμῃς γέρας | νίκας ἐπ' ἀνθρώποισιν εὔδοξος κέκλη|ται καὶ πολυζήλωτος*.

Nescio an de epiniciis idem suspicari liceat, quod de epithalamiis (supra 34 sq.) proposuimus, transisse incompositas acclamationes vel spectatorum vel eorum, qui *κῶμον* victori offerebant, in genus litterarum veluti formulam. Huius rei indicium mihi videtur id quod paedagogus de Orestae victoria Clytaemestrae narrat in Sophoclis Electr. 690 *ὅσων γὰρ εἰς|ἐκήρυξαν βραβῆς, | δρόμων διαύλων † πένταθλ' ἃ νομίζεται, | τούτων ἐνεγκὼν πάντα τἀπινίκια | ὠλβίζετ' Ἀργεῖος μὲν ἀνακαλούμενος, | ὄνομα δ' Ὀρέστης τοῦ τὸ κλεινὸν Ἑλλάδος | Ἀγαμέμνονος στράτευμ' ἀγείραντός ποτε*. Postquam praeco nomen victoris

[1] Cf. e. g. de Diagora Rhodio narratiunculam Cic. Tusc. I 46, 111 et quae contulit Kuehner ad hunc locum.

[2] V. Pind. Pyth. V 20; X 22; Nem. XI 11; Bacch. III 8; VII 8; Fraustadt l. l. 38.

[3] Hos versus, quamquam non ex epinicio carmine petitos, afferendos in hoc contextu putavi, quia epiniciorum usum asservant. Cum Metzgero, Christio, Wilamowitzio (*Berl. Sitz.-Ber.* 1909, 833) equidem duplicem accusativum personae (*ἄνδρα*) et rei (*πατέρα — δέμας ἀτρεμίαν*) agnosco. Patris nomen pro generis laude usurpatur, quae in epiniciis saepissime invenitur; cf. Fraustadt l. l. 38; Wundt l. l. 82.

pronuntiavit, qui adsunt, eum beatum praedicant. Eundem ad usum pertinet, quod Bacchylides multitudinem Hieronem victorem macarismo salutantem facit III 8 *θρόησε δε λ[αὸς ἀπείρων* suppl. Blass]· *ἆ τρισευδαίμων ἀνὴρ κτλ.*; neque Timothei versus huc referre dubito suam ipsius musicam victoriam celebrantis fr. 27 Wilamowitz *μακάριος ἦσθα Τιμόθεος, εἴτε κῆρυξ | εἶπε· νικᾷ Τιμόθεος | Μιλήσιος τὸν Κάμωνος τὸν Ἰωνοκάμπταν.*

Quamquam vanam ludicrae victoriae gloriam philosophi non minus quam divitiarum potentiaeque studium impugnabant [1], tamen adeo valuit communis opinio, ut victoris felicitas tunc etiam in proverbio viveret, cum ipsi ludi de vetere auctoritate aliquantum deperdidissent. Vel ipsi philosophi gymnici victoris beatitudine in comparationibus usi sunt, id quod Plato iam fecit, Resp. V 465d *ζήσουσί τε τοῦ μακαριστοῦ βίου, ὃν οἱ Ὀλυμπιονῖκαι ζῶσι, μακαριώτερον* [2].

Bella, venationem, gymnasticam artem laudare vetustioris magis aetatis est hominumque duriorum atque incultorum. In aliis negotiis recentiores felicitatem quaesiverunt, alios ob felicitatis possessionem praedicaverunt. Liberae Atheniensium civitati summo bono frui videbatur homo politicus, qui eloquentia vulgum regere et in sententiam suam adducere potest. Qua de causa homines orandi peritos in comoedia saepius celebratos invenimus, quae eloquentes praedicandi consuetudinem vulgarem fuisse demonstrat Aristoph. Equ. 836 *ὦ πᾶσιν ἀνθρώποις φανεὶς μέγιστον ὠφέλημα, | ζηλῶ σε τῆς εὐγλωττίας. εἰ γὰρ ὦδ' ἐποίσεις, | μέγιστος Ἑλλήνων ἔσει καὶ μόνος καθέξεις | τὰν τῇ πόλει, τῶν συμμάχων τ' ἄρξεις.* Nub. 1206 (Strepsiadis ad filium verba) *μάκαρ ὦ Στρεψίαδες | αὐτός τ' ἔφυς ὡς σοφὸς | καὶ οἷον τὸν υἱὸν τρέφεις* [3], | *φήσουσι δή μ' οἱ*

[1] V. e. g. Xenophan. fr. 2 Diels; Euripid. fr. 284 Nauck; de stoicis atque cynicis ludorum adversariis v. Norden l. l. 298; Wendland *Beiträge* 22, 43; Gerhard l. l. 134.

[2] V. Chrysipp. fr. III 229a Arnim; Dio Chrys. VIII 15, 27; IX 18; Plut. Pelop. XXXIV; Lucian. Dem. enc. 3; Philostrat. imag. 348; Wendland *Die hellenistisch-römische Kultur in ihren Beziehungen zu Judentum und Christentum*[2] 357 ann.

[3] Sublimiori sermoni horum verborum, quae Strepsiades ipse *ἐγκώμιον*

φίλοι | καὶ οἱ δημόται | ζηλοῦντες ἡνίκ' ἄν συ νικᾷς λέγων τὰς δίκας[1]. Etiam Menexenus vulgaris eloquentiae admirationis participem se praebet in Platonis dialogo cognomine 249d: Νὴ Δία, ὦ Σώκρατες, μακαρίαν γε λέγεις τὴν Ἀσπασίαν, εἰ γυνὴ οὖσα τοιούτους λόγους οἷα τ' ἐστι συντιθέναι[2]. Vel ipsi oratores se ab auditoribus beatos praedicari ob eloquentiam commemorant velut Isocrates Panath. 264 ἀνεβόησαν ὡς ὑπερβαλλόντως εἰρηκότος καὶ περιστάντες αὐτὸν ἐπῄνουν, ἐζήλουν, ἐμακάριζον, de antid. 246 οἵτινες μακαρίζουσι μὲν καὶ ζηλοῦσι τοὺς καλῶς χρῆσθαι τῷ λόγῳ δυναμένους, ibid. 291 ὅσοι τοὺς μὲν φύσει δεινοὺς ὄντας εἰπεῖν εὐδαιμονίζουσιν[3] ὡς ἀγαθοῦ καὶ καλοῦ πράγματος αὐτοῖς συμβεβηκότος[4].

Reges atque tyrannos, quorum in hoc quoque contextu mentio facienda est, supra iam commemoravimus, ubi de divitiarum potentiaeque studio diximus (39sq.). Quorum admirationi etiam Athenis pervulgatae, qui subtilius de optimo administrandae civitatis genere cogitaverunt, liberae rei publicae gubernatoris laudem opponunt et ipsi macarismo usi. Xenoph. Hier. VII 9 ὅταν γὰρ ἄνθρωποι ἄνδρα ἡγησάμενοι εὐεργετεῖν ἱκανὸν εἶναι καὶ ἀπολαύειν αὐτοῦ ἀγαθὰ νομίσαντες, ἔπειτα τοῦτον ἀνὰ στόμα τε ἔχωσιν ἐπαινοῦντες θεῶνταί τ' αὐτὸν ὡς οἰκεῖον ἕκαστος ἀγαθὸν ἑκόντες τε παραχωρῶσι τούτῳ ὁδῶν καὶ θάκων ὑπανίστανται[5] φιλοῦντές τε καὶ μὴ φοβούμενοι καὶ στεφανῶσι κοινῆς ἀρετῆς καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα καὶ δωρεῖσθαι

appellat, convenit et vox poetica μάκαρ et ordo μάκαρ ὦ Στρεψίαδες hymnorum proprius; cf. Allen ad hymn. Hom. in Apoll. 14.

[1] V. similem sententiam Nub. 412.

[2] In huius loci imitationem expressa esse videntur verba Diogen. epist. III 1.

[3] Communis opinio naturalem indolem maximi existimandam esse censebat; quo factum est, ut μακαρίζειν τὴν φύσιν firma atque usitata locutio fieret: Isocr. Panath. 260 ἐν μὲν γὰρ τοῖς παρελθοῦσι χρόνοις ἐθαύμαζόν σου τὴν φύσιν; Plat. Euthyd. 303c ὦ μακάριοι τῆς θαυμαστῆς φύσεως; Aeschin. Parapresb. 41 ἐμοὶ δὲ παρακολουθῶν καὶ τὴν φύσιν μακαρίζων καὶ τοὺς λόγους οὓς εἶπον ἐγκωμιάζων; Philodem. περὶ κακιῶν col. XXII 25 μακάριοι τῆς φύσεως οἱ μέν τινες ἢ τῆς δυνάμεως ἢ τῆς τύχης; Hippocr. ep. XVIII 2; Dio Chrys. VIII 2; XIX 4.

[4] Ex recentioribus adde Lucian. Somn. 12; Alciphr. II 26, 2; Libanii epistulam apud Isidorum Pelusiotam 78 II 42 Migne; cf. Maas *Berl. Sitz.-Ber.* 1912, 1125.

[5] Cf. similem locum Theogn. 935.

ἐθέλωσιν, οἱ αὐτοὶ οὗτοι ἐμοίγε δοκοῦσι τιμᾶν τε τοῦτον ἀληθῶς οἳ ἂν τοιαῦτα ὑπουργήσωσι, καὶ ὁ τούτων ἀξιούμενος τιμᾶσθαι τῷ ὄντι· καὶ ἔγωγε τὸν μὲν οὕτω τιμώμενον μακαρίζω. Iisdem fere blandimentis Isocrates Philippo liberae civitatis moderationem commendare conatur Philipp. 69 *οὐ γὰρ μόνον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἔσει ζηλωτός, ἀλλὰ καὶ σαυτὸν μακαριεῖς. τίς γὰρ ἂν ὑπερβολὴ γένοιτο τῆς τοιαύτης εὐδαιμονίας, ὅταν πρέσβεις μὲν ἥκωσιν ἐκ τῶν μεγίστων πόλεων οἱ μάλιστ' εὐδοκιμοῦντες εἰς τὴν σὴν δυναστείαν, μετὰ δὲ τούτων βουλεύῃ περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας . . . ὡς δ' οὐκ ἂν τῶν καὶ μετρίως λογιζομένων ταύτας ἄν σοι παραινέσειε μάλιστα προαιρεῖσθαι τῶν πράξεων, τὰς ἀμφότερα φέρειν ἅμα δυναμένας ὥσπερ καρποὺς, ἡδονάς θ' ὑπερβαλλούσας καὶ τιμὰς ἀνεξαλείπτους;*

Adhuc contulimus earum rerum laudes, quas communis opinio summa vitae humanae bona esse iudicat, *εὐτεκνίας*, matrimonii, amoris, divitiarum, potentiae, gloriae. Quae cum vulgo in numero bonorum habeantur, mirum non est homines harum rerum participes praedicari beatos. Cumque nostra intersit sciscitari, quem locum habuerit praedicandi illa formula, quaerendo eam invenimus vel in locutionibus certis vel in litterarum generibus obviam, veluti parentum laudationem in salutatione, novae nuptae in hymenaeo, amoris in elegia et in epigrammate, gloriae vivorum in epinicio, mortuorum in epitaphio. Ubicumque macarismum in ipsis litteris cognoscere non licebat, nihilominus formulam quondam exstitisse conclusimus ex impetu adversariorum harum rerum praedicationem castigantium. Sed priusquam ad ea transeamus, quae humanarum rerum contemptores illi bona putaverint, ut omnia, quae adhuc laudata vidimus, uno quasi ictu comprehendamus, Isocratis locum afferamus, qui funebrium orationum morem secutus (cf. supra 44sq.) Euagorae fortunam sic praedicat: Euag. 70 *Εὐαγόρας δ' οὐ μόνον θαυμαστότατος, ἀλλὰ καὶ μακαριστότατος ἐξ ἀρχῆς ὢν διετέλεσεν. Τί γὰρ ἀπέλιπεν εὐδαιμονίας; ὃς τοιούτων μὲν προγόνων ἔτυχεν, οἵων οὐδεὶς ἄλλος πλὴν εἴ τις ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἐκείνῳ γέγονεν, τοσοῦτον δὲ καὶ τῷ σώματι καὶ τῇ γνώμῃ*[1] *τῶν ἄλλων διήνεγκεν ὥστε μὴ*

[1] De *γνώμης* laude v. infra 61sq.

μόνον Σαλαμῖνος, ἀλλὰ καὶ τῆς Ἀσίας ἁπάσης ἄξιος εἶναι τυραννεῖν, κάλλιστα δὲ κτησάμενος τὴν βασιλείαν ἐν ταύτῃ διετέλεσε τὸν βίον. θνητὸς δὲ γενόμενος ἀθάνατον τὴν περὶ αὐτοῦ μνήμην κατέλιπεν, τοσοῦτον δ' ἐβίω χρόνον, ὥστε μήτε τοῦ γήρως ἄμοιρος γενέσθαι μήτε τῶν νόσων μετασχεῖν τῶν διὰ ταύτην τὴν ἡλικίαν γιγνομένων[1]. *πρὸς δὲ τούτοις ὃ δοκεῖ σπανιώτατον εἶναι καὶ χαλεπώτατον, εὐπαιδίας τυχεῖν ἅμα καὶ πολυπαιδίας, οὐδὲ τούτου διήμαρτεν, ἀλλὰ καὶ τοῦτ' αὐτῷ συνέπεσεν. καὶ τὸ μέγιστον ὅτι τῶν ἐξ αὐτοῦ γεγονότων οὐδένα κατέλιπεν ἰδιωτικοῖς ὀνόμασι προσαγορευόμενον, ἀλλὰ τὸν μὲν βασιλέα καλούμενον τοὺς δὲ ἄνακτας.*

Vitae humanae bonis sine curis uti iis tantum licebat hominibus, qui praeter necessaria et iucunda nihil in mundo quaerebant. Nam ubi primum homines circumspicere et de natura rerum vitaeque humanae cogitare coeperunt, fieri non potuit, quin humanam felicitatem vanam atque caducam esse cognoscerent[2]. Quo factum est, ut inde ab antiquissimis temporibus, qui penitus vitae humanae leges perceperunt, de communi salute desperarent, cum omnia in terra horrida atque taetra viderent. Talem Hesiodus quidem rerum humanarum naturam invenit, qui primus altiorem cepit de hominum sorte sapientiam[3]. Etiam Pindarus et Bacchylides, quamvis laudent divitiarum splendorem, fortunae fragilitatem saepius memorant, eademque tristitia abundant notae illae de Croeso et Polycrate apud Herodotum narrationes (I 30; III 39), qui etiam Xerxem hominem barbarum immitemque de mortalium imbecillitate lacrimas effundentem facit in ipso opulentiae fastigio (VII 45). Huius sapientiae finis est, quem tragici praedicare non desinunt: *μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι|κᾷ λόγον· τὸ δ' ἐπεὶ φανῇ | βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥ|κει, πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα* (Sophocl. Oed. Col. 1224). Nempe, qui talia de natura humana cogitat, magni aestimare non potest profana illa bona, amores, divitias, potentiam, sed solos mortuos beatos appellari posse iudicat. Non quo antiquissimis temporibus quidquam boni a morte sibi exspectaverint homines, sed hoc ipsum summum

[1] De commoditate vitae non nimis longae v. infra 52.

[2] V. Burckhardt *Griechische Kulturgeschichte* II 396; Wundt l. l. I 52.

[3] Cf. e. g. narrationem de ferrea aetate Op. 174.

bonum est, curis et sollicitudinibus esse solutum. Hac mente Ulixes Danaos ante Troiae portas mortuos beatos vocat laboribus ipse cruciatus, Od. V 306 *τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο | Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες*[1]. Altera mortuos praedicandi causa est communis opinio, neminem ante mortem beatum vocari posse[2]; nam si unicuique mali aliquid accidere potest, etiam qui feliciter vitam agit, morte demum dignus fit, cui beati nomen tribuatur. Est illa *τὸν τετελευτηκότα μακάριζε* Chiloni Lacedaemonio addicta (Diels Vorsocr. II 73a γ 7 p. 521, 22) sapientia sescenties a poetis et in sepulcralibus epigrammatis decantata[3]. Usitatissima vero mortuorum laudis forma est eum praedicare, qui matura morte certam quandam calamitatem effugerit; id quod iam in Aeschyli Persis fit 701 (de Dareo) *ὡς ἕως τ' ἔλευσσες αὐγὰς ἡλίου ζηλωτὸς ὢν βίοτον εὐαίωνα Πέρσαις ὡς θεὸς διήγαγες, | νῦν τέ σε ζηλῶ θανόντα πρὶν κακῶν ἰδεῖν βάθος*[4]. Hanc defunctos praedicandi rationem rhetores etiam usurpant et *εὐθανασίας* nomine disciplinae alumnis commendant[5]. Quorum auctoritate factum est, ut hic macarismus in variis litterarum generibus repetatur, ex quibus Vergilii quidem et Ovidii locos ob miram inter se similitudinem exscribo: Verg. Aen. XI 158: 'Tuque o sanctissima coniunx|felix morte

[1] Hunc locum Vergilius imitatus est Aen. I 94: 'O terque quaterque beati, | quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis | contigit oppetere'.

[2] V. Herod. I 33; Sophocl. Oed. reg. 1528, tragicorum locos, quos contulit E. Bruhn ad hunc locum.

[3] V. e. g. Dionys. Chalc. fr. 3 Nauck *θνητῶν δὲ μηδεὶς μηδέν' ὄλβιον πότε | κρίνῃ, πρὶν αὐτὸν εὖ τελευτήσαντ' ἴδῃ. | ἐν ἀσφαλὲς γὰρ τὸν θανόντ' ἐπολβίσαι*; Phrynich. fr. 31 Kock; Menand. fr. 481; Kaibel epigr. 67; 68; 243, 14 (similes sunt Pauli Silentiarii versus A. P. VII 606, 3); Carm. lat. ep. 1200, 7; Plut. Mor. XI 107c; 111d; etiam mortuorum pro patria laudes hic in memoriam revocare liceat (supra 44). Spartiatarum moris supra 44 commemorati nescio an memor fuerit Plato, cum *εὐθύνους* mortuos proprio cantu beatos praedicari iuberet, leg. XII 947b *χορῶν χορὸν πεντεκαίδεκα καὶ ἀρρένων ἕτερον περισταμένους τῇ κλίνῃ ἑκατέρους οἷον ὕμνον πεποιημένον ἔπαινον εἰς τοὺς ἱερέας ἐν μέρει ἑκατέρους ᾄδειν εὐδαιμονίζοντας ᾠδῇ διὰ πάσης τῆς ἡμέρας*; cf. *μακαρισμὸν τοῦ τεθνηκότος* Plut. Timol. 39.

[4] V. etiam Eur. Troad. 268; 1170.

[5] Theo, progymn. 110, 5 Spengel; Hermog. progymn. 12, 25 Sp.; Menander *περὶ ἐκιδεικτικῶν* 414, 9 Sp.; Quintil. inst. or. VI 2, 22.

tua neque in hunc servata dolorem'; Ov. Metam. XIII 519: 'Quis posse putaret | felicem Priamum post diruta Pergama dici? | Felix morte sua est'[1].

Inter mala, quae matura morte evitantur, saepissime memorantur senectutis labores, quos omnium fere vitae gravissimos esse communis erat Graecorum opinio[2]. Quam ob rem iam in Hyperidis epitaphio et in Isocratis Euagora mortuos praedicatos invenimus (supra 45, 51), quia huius aetatis molestias effugerint, itemque recentiores in defunctorum laude, quem communem litterarum locum esse diximus, huius commodi proprie mentionem faciunt[3].

Quodsi in iis exemplis, quae adhuc tractavimus, mors curarum laborumque tutissimum refugium laudabatur, at aeternae post obitum vitae nulla fiebat mentio, nihilominus firma aeternae beatitudinis spes in humilium praecipue pauperumque religione valde erat pervulgata; id quod mysteriorum auctoritate factum est, quae deorum et aureae aetatis felicitatem etiam mystis mortuis promittebant. Apparet, quantum pretii haec doctrina ipsi morti addiderit, eodemque spectat, quod μάκαρ, μακάριος, μακαρίτης, mortuorum cognomina, quae aptissime de illa felicitate usurpari diximus (supra 17), mox in omnium ore erant[4]. Iam Aristophanes vocem μακαρίτης ad mystarum disciplinam rettulit in Tagenistis Orphica sacra illudens fr. 488, 6 Kock: οὐδὲ γὰρ ἀποθανόντες ἐστεφανωμένοι | προὐκείμεθ' οὐδὲ βακκάρει κεχριμένοι, | εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει. | διὰ ταῦτα γάρ τοι καὶ καλοῦνται μακάριοι· | πᾶς γὰρ λέγει τις· ὁ μακαρίτης οἴχεται, | κατέδαρθεν· εὐδαίμων ὅσ' οὐκ ἀνιάσεται[5]. Quae mortuorum aeterna beatitudo, ad quam et

[1] Eiusdem τόπου exempla sunt Cic. Brut. 329; ad fam. IV 5, 5; Verg. Aen. III 321; VI 669; Ov. ex Pont. I 2, 3; Senec. Troad. 144; Sil. It. II 570; Stat. Silv. II 1, 220; V 1, 220; Plut. Pelopid. 34; Cim. et Luc. comp. 1; Ael. Arist. XXXII 33 p. 225, 10 Keil.

[2] V. e. g. v. Wilamowitz *Heracles*[2] 359; W. Schulze *Berl. Sitz.-Ber.* 1912, 702.

[3] Cf. Hermog. progymn. 12, 25 Sp.; Dio Chrys. or. XXIX 19; Liban. or. XVIII 298 p. 367, 4 F; IG IX 1, 256, 11 κεῖνος ἂν εὐδαίμων εἴη μᾶλλον παραβάτας | τοῦ στυγεροῦ γήρως οὐκ ἐσιδὼν βίοτον; Calpurn. ecl. VII 73.

[4] V. E. Rohde *Psyche* I[2] 315, 2.

[5] V. A. Dieterich *Nekyia* 78; v. etiam, quae de Thracum more mortuos praedicandi contulit E. Rohde l. l. II 34, 1.

Xenophontem et Demosthenem personatum alludere vidimus (supra 18, 45), devenit in recentiorum eloquentiam, qui ἀπαθανάτισιν macarismi loco saepius adhibent[1].

Vidimus omnem mortis mortuorumque laudem ortam esse ex summa tristitia eorum, qui vitam humanam ullius pretii esse negabant; quam tam gravem molestamque reddunt et inconstantia fortunae, quae cum hominem altius tollat atque elevet, altius etiam ruere faciat, et deorum invidia, qui odio eum maxime persequuntur, qui divitiis ceterisque bonis excellit. Quare, si in hominum vita nihil est ab omni parte beatum, beatissime certe ille vivit, cui, quantum fieri potest, sors pepercit, hoc est cui bona immutata usque ad finem vitae perseverant. Est ἀλυπίας ille amor, qui deorum ῥεῖα ζωόντων heroumque beatorum imaginem sibi finxit, variis sententiis a poetis expressus. Macarismo usus est Theognis, qui cum dicit 1013 ἆ μάκαρ, εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος ὅστις ἄπειρος| ἄθλων εἰς Ἀίδεω δῶμα μέλαν καταβῇ, | πρὶν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκη | ἐξετάσαι τε φίλους ὅντιν' ἔχουσι νόον, aetatis de se desperantis opinionem reddit, quae ne amicorum quidem fidem periculis probare ausa est. Quo modo Sophocles eandem sententiam communem vulgaremque in altiorem sensum verterit in Antigonae cantico εὐδαίμονες οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών, supra demonstravimus (14). Eiusdem sapientiae Euripides est laudator Hec. 627 κεῖνος ὀλβιώτατος ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν, quocum loco conferatur Baccharum canticum 902 εὐδαίμων μὲν ὃς ἐκ θαλάσσας | ἔφυγε χεῖμα, λιμένα δ' ἔκιχεν. | εὐδαίμων δ' ὃς ὕπερθε μόχθων | ἔγενεθ'· ἕτερα δ' ἕτερος ἕτερον | ὄλβῳ καὶ δυνάμει παρῆλθεν· | μυρίαι δὲ μυρίοισιν | ἔτ' εἰσ' ἐλπίδες· αἱ μὲν| τελευτῶσιν ἐν ὄλβῳ βροτοῖς | αἱ δ' ἀπέβησαν. | τὸ δὲ κατ' ἦμαρ ὅτῳ βίοτος | εὐδαίμων μακαρίζω. Reicit in his poeta eam felicitatem, quae gravibus tantum laboribus comparatur. Possunt sane fieri beati, qui per negotia fortunam quaerunt[2], sed ex incerta spe pendent, quia plane ignoratur, utrum in bonam

[1] Cf. Menand. περὶ ἐπιδεικτικῶν 414, 16; 421, 16; Ael. Arist. XXXI 14; XXXII 34.

[2] De rerum navalium periculis litterarum loco communi v. infra 58.

an in malam partem haec studia abitura sint[1]; beatissime is demum vivit, qui sua sorte contentus novam lucem exspectat. Ut hic macarismo ita altero loco precationis forma usus est Euripides in iisdem cogitationibus exprimendis, id quod supra iam (41) in modici amoris laude observavimus, Hippol. 1111 *εἴθε μοι εὐξαμένᾳ θεόθεν τάδε μοῖρα παράσχοι, | τύχαν μετ' ὄλβου καὶ ἀκήρατον ἄλγεσι θυμόν· | δόξα δὲ μήτ' ἀτρεκὴς μήτ' αὖ παράσημος ἐνείη· | ῥᾴδια δ' ἤθεα τὸν αὔριον μεταβαλλομένα χρόνον αἰεὶ | βίον συνεντυχοίην.* Recurremus ad hunc locum, cum de religiosorum felicitate dicendum erit (infra 61), quo priusquam transeamus, aliquot macarismorum genera perlustremus, quae ex eodem *ἀλυπίας* studio nata sunt.

Qui omnino de vitae humanae salute desperabant, in tempora praeterita omnia desideria ex antiquissimis temporibus transferre solebant[2]. Hesiodi heroum beatitudinem splendidissimis coloribus depingentis supra mentionem fecimus (9). Etiam comoediae poetae quo acriores erant in suae aetatis moribus castigandis eo maiore laude veterum vitam ad caelum efferebant[3]. Quare iam Cratinus 'laudatorem temporis acti' (Hor. A. P. 173) se praebet fr. 238 *μακάριος ἦν ὁ πρὸ τοῦ βίος | βροτοῖσι πρὸς τὰ νῦν ὃν εἶχον ἄνδρες ἀγανόφρονες | ἡδυλόγῳ σοφίᾳ βροτῶν περισσοκαλεῖς*, quocum consentit Aristophanes Nub. 1029 *εὐδαίμονες δ' ἦσαν ἄρ' οἱ ζῶντες τότ' ἐπὶ τῶν προτέρων*[4]. Philosophos etiam populares diatribarum saturarumque scriptores sui temporis castigationi admiscuisse veterum laudem constat[5], cuius unum tantum testem affero Iuvenalem, qui macarismo usus est, sat. III 312: 'Felices proavorum atavos, felicia dicas | saecula, quae quondam sub regibus atque tribunis | viderunt uno contentam carcere Romam'.

---

[1] V. similem sententiam Sophocl. Ant. 615 *ἃ γὰρ δὴ πολύπλαγκτος ἀλ|πὶς πολλοῖς μὲν ὄνασις ἀν|δρῶν, πολλοῖς δ' ἀπάτα | κουφονόων ἐρώτων.*

[2] V. Rohde l. l. I 92.

[3] V. e. g. Poppelreuter, De comoediae Atticae primordiis, diss. Berol. 1893, 21.

[4] V. etiam Sophocl. fr. 256 *εὐδαίμονες οἱ τότε γέννας | ἀφθίτου λαχόντες*; cf. Choerili frg. 1 K. *ὦ μάκαρ ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῆς κτλ.*

[5] Cf. Gerhard *Phoinix von Kolophon* 160; Jacoby in Mus. Rhen. LXV 1910, 66, 70.

Ex eodem rerum humanarum fastidio orta est consuetudo bestias praedicandi, quae laboribus atque curis non anguntur. Aristophanes, qui hanc bestiarum securitatem et socordiam tota Avium comoedia illustravit, in felicitate celebranda macarismum adhibuit Av. 1088 *εὔδαιμον φῦλον πτηνῶν | οἰωνῶν οἳ χειμῶνος μὲν | χλαῖνας οὐκ ἀμπισχνοῦνται κτλ.* Qui usus e vulgari more procul dubio receptus[1] in mediam quoque et in novam comoediam transiit, cuius rei exempla affero Xenarch. fr. 14 K. *εἶτ' εἰσὶν οἱ τέττιγες οὐκ εὐδαίμονες | ὧν ταῖς γυναιξὶν*[2] *οὐδ' ὁτιοῦν φωνῆς ἔνι;* Philem. fr. 93 K. *ὦ τρισμακάρια πάντα καὶ τρισόλβια | τὰ θηρί' οἷς οὐκ ἔστι περὶ τούτων λόγος· | οὐτ' εἰς ἔλεγχον οὐδὲν αὐτῶν ἔρχεται | οὔτ' ἄλλο τοιοῦτ' οὐδέν ἐστ' αὐτοῖς | κακὸν ἔπακτον κτλ.*; Menand. fr. 534 K. *ἅπαντα τὰ ζῷ' ἐστι μακαριώτατα | καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ.* Cum omnes bestiarum comparationes[3] tum *τέττιγος ἔπαινος* quem in Xenarchi fragmento invenimus, locus communis fuisse videtur, cf. Philostrat. Apollon. VII 11, 261, 1 K. *οἱ τέττιγες ἐν ᾠδαῖς ἦσαν. ἀναβλέψας δὲ ἐς αὐτοὺς ὁ Δημήτριος· 'ὦ μακάριοι' ἔφη 'καὶ ἀτεχνῶς σοφοί, ὡς ἐδίδαξάν τε ὑμᾶς ᾠδὴν ἄρα Μοῦσαι μήπω ἐς δίκας ἢ διαβολὰς ὑπαχθεῖσαν, γασιρός τε κρείττους ἐποίησαν, καὶ ἀνῴκισαν τοῦ ἀνθρωπείου φθόνου ἐς ταυτὶ τὰ δένδρα ἐφ' ὧν ὄλβιοι τὴν ἐφ' ὑμῶν τε καὶ Μουσῶν εὐδαιμονίαν ᾄδετε'.* A Philostrato pendet carmen illud, quod poetam nostrum imitatum esse nemo nescit, Anacreont. XXXIV *μακαρίζομέν σε τέττιξ, | ὅτε δενδρέων ἐπ' ἀκρῶν | ὀλίγην δρόσον πεπωκὼς | βασιλεὺς ὅπως ἀείδεις*[4].

Et praeteriti temporis et bestiarum laudationes nasci videbamus ex desideriis eorum, quos vitae adeo taedebat, ut felicitatem e mundo evolasse iudicarent. Ad idem propriae sortis taedium referendum est studium comparandi suam ipsius fortunam cum meliore aliorum hominum fato. In quo studio

---

[1] Ad proverbialem locutionem alludere Aristophanes mihi videtur Vesp. 428 *εἰ δὲ μή, φήμ' ἐγὼ | τὰς χελώνας μακαριεῖν σε τοῦ δέρματος*; cf. v. 1292.

[2] V., quae supra de matrimonii incommodis a nova comoedia obiurgatis disseruimus 36.

[3] Huc conferendi sunt Weber l. l. 107; Norden l. l. 319, 3; Gerhard l. l. 23.

[4] De Anacreonticis sophistarum imitatoribus v. e. g. Crusium *P W* I 2047.

vituperando philosophi saepissime praedicandi consuetudinem commemorant. Quamquam haec res viros doctos, qui de diatribae disciplina egerunt, minime fugit[1], tamen exempla nonnulla proferre liceat, quibus eximia singulorum testimoniorum similitudo demonstretur. Ordiendum est a Democrito, qui si quid video primus hanc *μεμψιμοιρίαν* acrius castigavit fr. 191 Diels *ὁ γὰρ θαυμάζων τοὺς ἔχοντας καὶ μακαριζομένους ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων καὶ τῇ μνήμῃ πᾶσαν ὥραν προσεδρεύων, ἀεὶ ἐπικαινουργεῖν ἀναγκάζεται καὶ ἐπιβάλλεσθαι δ' ἐπιθυμίην τοῦ τι πρήσσειν ἀνήκεστον ὧν νόμοι κωλύουσιν. διόπερ τὰ μὲν μὴ δίζεσθαι χρεών, ἐπὶ δὲ τοῖς εὐθυμέεσθαι χρεών, παραβάλλοντα τὸν ἑαυτοῦ βίον πρὸς τὸν τῶν φαυλότερον πρησσόντων καὶ μακαρίζειν ἑαυτὸν ἐνθυμεύμενον ἃ πάσχουσιν, ὁκόσῳ αὐτέων βελτίον πρήσσει τε καὶ διάγει.* A Democriti doctrina, si non ab ipsis philosophi verbis, pendent etiam cynici, qui idem praedicare non desinunt[2], veluti Teles p. 42, 11 Hense *πρεσβύτης γέγονε· πάλιν ἐπιθυμεῖ τὰ ἐν νεότητι 'ἦ νεότης μοι φίλον ἀεί, τὸ δὲ γῆρας βαρύτερον Αἴτνας', καὶ μακαρίζει τὸν τοῦ παιδὸς βίον.* Horat. Sat. I 1 sqq., cuius versus nemini ignotos exscribere supersedeo; Hippocr. ep. XVII 41 *ἡγεμόνες καὶ βασιλέες μακαρίζουσι τὸν ἰδιώτην, ὁ δὲ ἰδιώτης ὀρέγεται βασιληίης*; Maxim. Tyr. XV 1, p. 182, 8 Hobein *καὶ ἴδοις ἂν τὸν μὲν γεωργικὸν μακαρίζοντα τοὺς ἀστικούς, ὡς συνόντας βίῳ χαρίεντι καὶ ἀνθηρῷ κτλ.*; Himer. ecl. XX 6 *οἰκοῦντες γῆν ζητοῦμεν θάλασσαν· καὶ πλέοντες πάλιν περισκοποῦμεν τὰ λῷτα· ὁ πλωτὴρ μακαρίζει γηπόνον*; cf. Hippocr. ep. XVII 30.

Hi omnes, quorum *μεμψιμοιρίαν* philosophi vituperant, eam ob causam aliorum negotiis invident, quia illos vita curis soluta frui arbitrantur. Est sane hebescentis potius quam vigentis aetatis, adeo studere vitae otiosae atque socordi, qua de causa neque in *ἐπιτηδευμάτων* supra enumeratorum laude huis studii ulla ratio habebatur, neque, quos modo commemoravimus, temporis acti, ferarum, diversa sequentium laudatores vetustioris validiorisque temporis erant homines. Ut antea summa felicitas est visa, gloria inter cives excellere,

[1] V. Heinze, De Horatio Bionis imitatore 15; ad Hor. Sat. I 1, 16; Geffcken *Kynika und Verwandtes* 8; Hobein ad Maxim. Tyr. XV 1.

[2] V. Hirzel *Hermes* XIV 1878, 354 sqq.

sic nunc permutata norma beatissimus est, qui molestam turbam effugit, relicta hominum societate solitudinis quietem expetit. Reiectis igitur omnibus negotiis, quae curas sollicitudinesque afferunt[1], is praecipue laudatur, qui rei rusticae studet, non gravibus scilicet aratoris laboribus, sed levibus amoenisque domini officiis. Qualem vitam et Alexandrinae et Augusteae aetatis poetas ut optimam celebrasse constat[2], qui etiam ea re fortasse Graeca exempla secuti sunt, quod macarismum in rusticae vitae laude adhibent, id quod et Vergilius fecit, Georg. II 458: 'O fortunatos nimium sua si bona norint, | agricolas quibus ipsa, procul discordibus armis | fundit humo facilem victum iustissima tellus'[3]; et Horatius epod. II 1: 'Beatus ille, qui procul negotiis | ut prisca gens mortalium | paterna rura bobus exercet suis | solutus omni fenore'; et Tibullus I 10, 39: 'Quam potius laudandus hic est, quem prole parata | occupat in parva pigra senecta casa![4] | ipse suas sectatur oves, at filius agnos | et calidam fesso comparat uxor aquam'. Etiam philosophi, qui rerum publicarum taedio commoti solitudinis refugium petunt rerum rusticarum delicias laude sua exornant[5].

Macarismorum exempla modo perlustrata ex rerum humanarum desperatione vitaeque fastidio derivare conati sumus.

[1] Inter negotia propter molestiam fugienda in primis commemorantur res navales; cf. Wundt l. l. I 18, 35, 70. Quare saepissime is beatus praedicatur, qui maris pericula vitat; v. Theognidis Euripidisque locos supra 41, 54 exscriptos, Eurip. fr. 194, 793; Callim. fr. 111 Schn. *Ἐνθ' ἀνέμων μεγάλων κῦμα διωλύγιον . . . τρίσμακαρ· ἢ παύρων ὄλβιος ἔσσι μέτα | ναντιλίης εἰ νηὶν ἔχεις βίον· ἀλλ' ἐμὸς αἰὼν | κύμασιν αἰθνίης μᾶλλον ἐσωκίσατο.* E comoedia Graeca (cf. Antiphan. fr. 100 Kock; Alciphr. ep. I 3, 1) hunc *τόπον* decerpsit Terentius Andr. 418: 'O fortunate, nescis, quid mali | praeterieris, qui numquam es ingressus mare', e diatriba (cf. Gerhard l. l. 97; Heinze l. l. 17, 2) Horatius carm. I 1, 15: 'Luctantem Icariis fluctibus Africum | mercator metuens otium et oppidi | laudat rura sui'.

[2] V. e. g. Friedländer *Sittengeschichte Roms* II[6] 178 sq.

[3] De altero Vergilii loco, ubi agricolarum vita praedicatur Georg. I 493 v. infra 68.

[4] Similiter ruris amoenitas praedicatur Culex 79; Sil. It. I 395; Nemesian. I 64.

[5] V. e. g. Dio Chrys. VII 65; Muson. 57, 5 Hense; cf. etiam Aelian. ep. rust. XIV, II 181, 6 Hercher (laudatur Perseus, quia hominum societatem effugit); Luc. Tim. 35.

Neque tamen desunt solacia, quae maiorem quidem hominum partem meliorem salutis spem capere faciant; inter quae primo loco commemoranda est erga deos pietas, certissimum tristitiae remedium. Communis enim est ex antiquissimis temporibus multorum opinio omnem hominum beatitudinem pendere a deorum clementia ac benignitate. Hanc immortalium gratiam nemo sibi conciliat, nisi qui religionis praeceptis satisfaciat, omne nefas vitet; nam is solus, qui sacrificiis omnique cultu deos mites benevolosque reddiderit, a gratis numinibus felicitate donatur. Hoc certe exprimere voluit, quicumque Hesiodei carminis extremos versus conscripsit, Op. 826 *εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος ὃς τάδε πάντα | εἰδὼς ἐργάζηται ἀναίτιος ἀθανάτοισιν | ὄρνιθας κρίνων καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων.* Omnia poetae de agricultura praecepta, quamvis apta et utilia sint, per se nihil efficiunt, quia bonus eventus eum tantum sequitur, qui divinam voluntatem ex avium volatu discit (*ὄρνιθας κρίνων*) ubique cognoverit, ei obtemperat (*ὑπερβασίας ἀλεείνων*). Ei enim, qui talia exsequitur, di favent omniaque eius facta felicia ac fausta faciunt. Quibus in rebus constet felicitas, non memoratur, sed verisimile est eadem fere exoptari ac quae hymni in Cererem Homerici poeta maxime praedicanda iudicat v. 486 *μέγ' ὄλβιος ὅντιν' ἐκεῖναι* (Ceres et Proserpina) | *προφρονέως φιλῶνται ἐπιχθονίων ἀνθρώπων· | αἶψα δέ οἱ πέμπουσιν ἐφέστιον ἐς μέγα δῶμα | Πλοῦτον ὃς ἀνθρώποις ἄφενος θνητοῖσι δίδωσιν*[1]. Ut in Operum versibus auspiciorum observatio felicitatis condicio est, ita apud alios alia ritus praecepta. Castitate Hippolytus immortalitatem nactus est, ob quam praedicatur in Euripidis fragmento 446 *ὦ μάκαρ οἵας ἔλαχες τιμάς, Ἱππόλυθ' ἥρως, διὰ σωφροσύνην. οὔποτε θνητοῖς ἀρετῆς ἄλλη δύναμις μείζων. ἦλθε γὰρ ἥ πρόσθ' ἢ μετόπισθεν τῆς εὐσεβίας χάρις ἐσθλή.* Quin etiam, qui magicis formulis deorum voluntatem dicioni suae subicere scit, beatus appellatur in defixione quadam saeculi quarti[2] 13 *ὄλβιος ᾧ κατάδεσμα*

[1] Hos versus in animo habuit hymni in Tellurem Homerici poeta XXX 7 *ὁ δ' ὄλβιος ὅν κέ συ θυμῷ | πρόφρων τιμήσῃς· τῷ τ' ἄφθονα πάντα πάρεστι· | βρίθει μέν σφιν ἄρουρα φερέσβιος ἠδὲ κατ' ἀγροὺς | κτήνεσιν εὐθηνεῖ, οἶκος δ' ἐμπίπλαται ἐσθλῶν.*

[2] V. R. Wuensch in Mus. Rhen. LV 1900, 81. De forma macarismis mysteriorum simil v. infra 62, 2.

ἐδάθη· κατὰ ἁμαξιτὸν ἦκοι· | φρεσσίλυτος δ' ὃς ἔχῃ μακάρων καθ' ἁμαξιτὸν αὐδάν. Saepissime vero macarismus in laude eorum usurpatur, qui oraculis deorum sententiam exquirunt. Quorum, quae huc spectant exempla, proferam[1]. Vetustissimum est notum illud a Pythia Cypselo datum, quod etiam in paroemiographorum thesauros transiit[2], Herodot. V 92 ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ ὃς ἐμὸν δόμον ἐσκαταβαίνει | Κύψελος Ἠετίδης βασιλεὺς κλειτοῖο Κορίνθου, | αὐτὸς καὶ παῖδες, παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες. Oraculum Phalaridi datum de Charitone et Melanippo, qui eum trucidare conati sunt Athen. XIII 602c εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ, | θείας ἀγητῆρες ἐφαμερίοις φιλότατος[3]; A. P. XIV 77 ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ ὃς νῦν κατὰ λάινον οὐδον | Φοίβου Ἀπόλλωνος χρηστήριον εἰσαναβαίνει, | ἦλυθεν εὐνομίην διζήμενος. αὐτὰρ ἐγώ τοι | δώσω ἣν οὐκ ἄλλη ἐπιχθονίων πόλις ἔξει. Certam. Hom. et Hes. 210 p. 445 Rzach: ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ ὃς ἐμὸν δόμον ἀμφιπολεύει| Ἡσίοδος Μούσῃσι τετιμένος ἀθανάτῃσιν. Haec omnia, quamvis diversas sententias contineant, vaticinia hac re tamen consentiunt, quod initium faciunt ab eadem fere praedicandi formula. Nam formulam in his oraculis agnoscendam esse nemo negabit. Quae cur in vatum responsis locum obtinuerit, in propatulo mihi videtur esse. Facultas enim bene ominandi, de qua ad hymenaeum diximus (supra 35), hic quoque procul dubio aliquid valuit. Oraculo deus, cum quis religiosa mente templum intrat, pietate laetatus advenam benigne excipere studet, id quod ipsis salutationis verbis exprimit, quae dum felicem beatumque eum esse iubent, revera felicem beatumque eum reddunt[4]. Quare benedictionem appellare licet

[1] V. R. Hendess, Oracula Graeca, Halle 1877, passim.

[2] Apostol. XII 65d p. 558 L.; Euseb. Praep. ev. V 35 p. 233a; A. P. XIV 88.

[3] Repetitur ab Aeliano var. hist. II 4, qui versus transposuit, et ab Eusebio, praep. ev. V 35 p. 233b, qui ultro nonnulla mutavit.

[4] In aliis oraculis simillimo modo futura felicitas divinatur: Athen. XII 520a; cf. Stephan. Byz. s. v. Συβαρίς: εὐδαίμων Συβαρίτα παν- | εὐδαίμων σὺ μὲν αἰεὶ | ἐν θαλίῃσιν ἔσῃ τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων; Pausan. VII 5, 3 (cf. Buresch *Apollon Klarios* 47) τρισμάκαρες καὶ τετράκις κεῖνοι ἄνδρες ἔσονται | οἳ Πάγον οἰκήσουσι πέρην ἱεροῖο Μέλητος; Stephan. Byz. s. v. Βυβόντιον: ὄλβιοι οἳ κείνην πόλιν ἄνερες οἰκήσουσιν κτλ., cf. Theocr. XII 27.

hoc oraculi prooemium, quod cum ipso vaticinio plerumque nihil habet commune.

At non solum cultus praeceptis satisfacere, sed omni vita pium religiosumque se praestare neque obcaecatum bona fortuna rectam mentem servare debet, quicumque deorum benevolentiam retinere vult. Saepissime enim nimia felicitas modestiam pietatemque disturbat et superbiae hominem tradit, ut dis non iam minorem sese iudicet. Qua dementia iram deorum concitat, suam fortunam funditus evertit. Haec iam lyricorum antiquissimi Alcmanis sententia est fr. 16 p. II *ἔστι τις σιῶν τίσις. | ὁ δ' ὄλβιος ὅστις εὔφρων | ἀμέραν διαπλέκει | ἀκήρυκτος.* — *Ἀκήρυκτος* esse vult poeta, ne gloria vel potentia elatus perdat aequam temperatamque mentem et satietati se tradat, quam summum periculum Graeci metuerunt. Nam is solum, qui aurea mediocritate fruitur, *εὔφρων* est, hoc est mentis sanitatem tuetur, qua maius bonum di hominibus dare non possunt, Theogn. 1171 *γνώμην, Κύρνε, θεοὶ θνητοῖσι διδοῦσιν ἄριστον | ἀνθρώποις, γνώμη πείρατα παντὸς ἔχει. | ὦ μάκαρ ὅστις δή μιν ἔχει φρεσίν, ἢ πολὺ κρείσσων | ὕβριος οὐλομένης. λευγαλέου τε κόρου | ἐστίν.* Idem Aeschylus testatur, apud quem Agamemno uxorem, quae redeuntem divinis honoribus salutat, sic castigat, Agam. 889 *λέγω κατ' ἄνδρα μὴ θεὸν σέβειν ἐμέ. | χωρὶς ποδοψήστρων τε καὶ ποικιλμάτων*[1] *| κληδὼν ἀυτεῖ· καὶ τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν | θεοῦ μέγιστον δῶρον. ὀλβίσαι δὲ χρῆ | βίον τελευτήσαντ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ.* Hoc sensu et Sophocles sanam mentem *πρῶτον εὐδαιμονίας* dixit (Antig. 1348) et virgines in Euripidis Hippolyto *δόξαν μήτ' ἀτρεκῆ μήτ' αὖ παράσημον* sibi exoptabant (supra 55); nam neque qui falsa superstitione superorum libidinem crudelitatemque timet (*δόξα παράσημος*) neque qui philosophorum in modum deos esse omnino negat (*δόξα ἀτρεκής*)[2], animi tranquillitatem asservat, quae sola religione paratur; quare praedicatur is, qui temperata mente deos reveretur fr. 256 *μακάριος ὅστις νοῦν*

[1] Codd.: *τῶν ποικίλων* Karsten.

[2] Cf. similem sententiam Bacch. 423 *μισεῖ δ'* (Bacchus) *ᾧ μὴ ταῦτα μέλει | κατὰ φάος νίκτας τε φίλας | εὐαιῶνα διαζῆν. | σοφὸν δ' ἀπέχειν παπίδα φρένα τε | περισσῶν παρὰ φωτῶν· | τὸ πλῆθος ὅτι | τὸ φαυλότερον ἐνόμισε χρῆ|ταί τε, τόδ' ἂν δεχοίμαν.*

ἐχων τιμᾷ θεόν | καὶ κέρδος αὐτῷ τοῦτο ποιεῖται μέγα. Alcmanis versuum memoriam affert mediocritatis laus, Iph. Aul. 16 *ζηλῶ σε, γέρον, ζηλῶ δ' ἄνδρων ὃς ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής.*

Exemplis, quae contulimus, satis clare demonstratur, quam usitatus fuerit macarismus in religiosorum hominum felicitate praedicanda. Hoc quoque e testimoniis elucebat, vetustiores in externorum bonorum possessione, recentiores in tranquillo atque aequo mentis statu potius beatitudinem invenisse. Quam animi tranquillitatem cum omnis religio, tum mysteria hominibus promittebant, quippe quae curarum oblivionem pararent novae meliorisque vitae spe post obitum corporis accipiendae. Haec mystarum beatitudo iam in hymno in Cererem Homerico celebratur, ubi poeta, postquam dixit de Eleusiniis ab ipsa dea institutis, exclamat 480 *ὄλβιος ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων· | ὃς δ' ἀτελὴς ἱερῶν, ὃς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίων | αἶσαν ἔχει φθίμενός περ ὑπὸ ζόφῳ εὐρώεντι.* Hic primum in litteris Graecis significatur aeterna beatitudo, cuius participes fiunt mystae, cum tristissima sors immineat profanis. Mirum in modum hi versus discrepant a laude opulentiae humanae, quae paulo post legitur 486 *μέγ' ὄλβιος ὄντιν' ἐκεῖναι προφρονέως φιλῶνται* (v. supra 59). Quibus locis tanta est rerum repugnantia, tanta formae similitudo, ut utrumque non ab eodem auctore conscriptum esse mihi quidem persuasum sit, cumque omnis Eleusiniorum descriptio absit ab integro rerum contextu, versus supra exscriptos ad exornanda mysteria insertos esse a quodam sacrorum illorum admiratore verisimile est[1]. Quem in hoc officio formula firma inveterataque usum esse et sollemnis elocutionis sonus demonstrat[2] et aliorum scriptorum testimonium, qui eandem

---

[1] Non genuinam hymni formam nobis servatam esse multi iam viri docti statuerunt; v., quae contulit A. Gemoll in editione hymnorum 278.

[2] Sermonis gravis et sancti est initiatorum et profanorum comparatio; v. e. g. Orphicum illud *ναρθηκοφόροι μὲν πολλοί, βάκχοι δέ τε παῖροι* (Plat. Phaed. 69 c) et magicam formulam supra 59 exscriptam. Recentius exemplum afferre liceat, quod falsos prophetas Celsus pronuntiantes facit apud Origenem VII 8 (cf. Norden *Agnostos Theos* 188) *μακάριος ὁ νῦν με θρησκείσας, τοῖς δ' ἄλλοις ἅπασι πῦρ αἰώνιον ἐπιβαλῶ.*

sententiam iisdem fere verbis expresserunt. Iam pridem cum hymni versibus contulerunt viri docti Pindari et Sophoclis de mysteriis Eleusiniis locos[1], Pind. fr. 137 Schroeder *ὄλβιος ὅστις ἰδὼν κεῖν' εἶσ' ὑπὸ χθόν'· οἶδε μὲν βίου τελευτάν, | οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.* Sophocl. fr. 753 *ὡς τρισόλβιοι | κεῖνοι βροτῶν οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη | μόλωσ' ἐς Ἅιδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ | ζῆν ἔστι, τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.*

Neminem fugit eximia inter tres locos similitudo, quae prohibet, ne unumquemque poetam haec suo arbitrio expressisse putemus. Quo igitur modo hic consensus explicari potest? Etiamsi Sophoclem vel hymni vel Pindari vel utriusque memorem fuisse sumas, separata certe manent hymni atque Pindari testimonia; nam ne Pindarum hymno Homerico usum esse putes, id quod per se minus verisimile est, impedit ipsa verborum diversitas. Qua de causa res expediri non potest, nisi unumquemque poetam eandem formulam ex ipsis mysteriis cognitam habuisse arbitremur. Ac si in arcanis illis sacris ipsam mysteriorum institutionem actam esse verum est[2], equidem macarismum in mystico dramate sollemniter pronuntiatum esse suspicor; quae formula nescio an totius caerimoniae sublime fastigium effecerit; splendidum enim in mysteriis locum illam habuisse iam ex ea re cognoscitur, quod a testibus tam variis aeque traditur; formula videlicet non secreta atque arcana, sed aptissima quae in publicum elata profanos homines ad initiationem alliceret, promittendo et minando quasi *προτρεπτικὸς εἰς μυστήρια.* Vel in aliis mysteriis similem macarismi usum animadvertimus. De Orphicis hoc constat, postquam in lucem prodierunt lamellae aureae, quas Orphei mystae in Magna Graecia mortuis addere solebant, ut ab inferis benigne exciperentur. Quarum in una legimus inferorum reginae verba, quae animae aeternam felicitatem promittit: Diels *Vors.* II 480,30 *ὄλβιε καὶ μακαριστέ, θεὸς δ' ἔσῃ ἀντὶ βρότοιο.* Haec verba et re et forma proxime accedere ad Eleusinium illud promissum in propatulo est.

[1] Valckenaer ad Eur. Hippol. 25; Lobeck, Aglaophamus I 69; Dieterich *Nekyia* 64; Rohde *Psyche* I² 298; J. Harrison *Prolegomena to the study of Greek religion*² 565.

[2] V. Rohde *Psyche* I² 298.

Ac fortasse hic quoque macarismus habendus est in numero formularum, quibus omnino hae tabulae abundant, quaeque indicare videntur certos ritus caerimoniasque in horum mystarum cultu revera actas. Etiam Euripides cum Bacchicorum sacrorum participem beatum praedicaret, macarismum usurpavit Bacch. 72 *ὦ μάκαρ ὅστις εὐδαίμων | τελετὰς θεῶν εἰδὼς | βιοτὰν ἁγιστεύει καὶ | θιασεύεται ψυχὰν | ἐν ὄρεσι βακχεύων | ὁσίοις καθαρμοῖσιν | τά τε ματρὸς μεγάλας ὄρ|για Κυβέλας θεμιτεύων | ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων | κισσῷ τε στεφανωθεὶς | Διόνυσον θεραπεύει.* — *Ἔκστασις*, ob quam hic Bacchis beatorum appellatio tribuitur, item ac totus ille furor Bacchicus a Graecorum religione primitus aliena erat, neque Euripides certam cultus formulam in animo habuit. Sed alicuius momenti est, poetam in externo quoque cultu describendo locutionem adhibuisse in domestico usu inveteratam. Ad similem Sabaziorum morem Demosthenes mihi alludere videtur, qui Aeschinem mystam deridens dicit, de cor. 260 *ἔξαρχος καὶ προηγεμὼν καὶ κιττοφόρος καὶ λικνοφόρος καὶ τοιαῦθ' ὑπὸ τῶν γραδίων προσαγορευόμενος μισθὸν λαμβάνων τούτων ἔνθρυπτα καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα, ἐφ' οἷς τίς οὐκ ἂν ὡς ἀληθῶς αὐτὸν εὐδαιμονίσειε καὶ τὴν αὐτοῦ τύχην;* Denique etiam in Isidis mysteria transisse mystas laudandi consuetudinem Apuleius testatur, apud quem Lucium modo initiatum vulgus acclamationibus salutat Metam. XI 16: 'Felix hercules et ter beatus, qui vitae scilicet praecedentis innocentia fideque meruerit tam praeclarum de caelo patrocinium, ut renatus quodam modo statim sacrorum obsequio desponderetur'[1].

In numero eorum hominum, qui ob felicitatem a dis praebitam praedicantur, etiam poetas habere debemus, qui divinitus spiritum canendique artem accipiunt, ut alii divitias, regiam potestatem, alia[2]. — Ut oratores, quorum naturam vulgus admiratum esse supra vidimus (49, 1), ita etiam poetae

---

[1] V. etiam sacerdotis verba, qui Lucium arcanis est initiaturus XI 22: 'O' inquit 'Luci te felicem, te beatum, quem propitia voluntate numen augustum tantopere dignatur'.

[2] V. e. g. W. Link, De vocis 'sanctus' usu pagano, diss. Regimont. 1910, 49.

sunt *φύσει δεινοί*[1], sed proprio munere a dis praediti ceterorum turba excipiuntur et propter deorum amicitiam etiam maiore quam oratores laude digni habentur. Divinam illam indolem iam Hesiodus praeclaris verbis cantat Theog. 94 *ἐκ γάρ τοι Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος | ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα καὶ κιθαρισταί, | ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· ὁ δ' ὄλβιος ὅντινα Μοῦσαι | φίλωνται· γλυκερὴ οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.* Similem modum recentiores quoque in poetis celebrandis adhibent, e quibus Diodori epigramma affero A. P. VII 41 *Ἆμάκαρ ἀμβροσίησι συνέστιε φίλτατε Μούσαις, | χαῖρε καὶ εἰν Ἀίδεω δώμασι, Καλλίμαχε.* Etiam oraculum, quo Hesiodus beatus appellatur, quia est *Μούσῃσι τετιμένος ἀθανάτῃσι* in memoriam revocare liceat (supra 60).

Religiosi atque mystae, de quibus adhuc disputavimus, omnem felicitatis spem in deorum benevolentia ponebant, cum suis ipsorum meritis aliquid salutis effici posse desperarent. Qua de causa etiam virtus haud per se bonum habebatur, sed quia melioris post mortem sortis certissimum pignus est, quem ad modum Hercules aeternam in Olympo vitam nactus est Hes. Theog. 950 *Ἥβην δ' Ἀλκμήνης καλλισφύρου ἄλκιμος υἱός, | ἣς Ἡρακλῆος, τελέσας στονόεντας ἀέθλους, | παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου, | αἰδοίην θέτ' ἄκοιτιν ἐν Οὐλύμπῳ νιφόεντι, | ὄλβιος ὃς μέγα ἔργον ἐν ἀθανάτοισιν ἀνύσσας | ναίει ἀπήμαντος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα*, vel commendatur ad gloriam honoremque concilianda Theogn. 933 *παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ· | ὄλβιος ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν. | πάντες μιν τιμῶσιν· ὅμως νέοι οἵ τε κατ' αὐτὸν | χώρης εἴκουσιν τοί τε παλαιότεροι.* Philosophi demum virtutis *αὐτάρκειαν* docuerunt, sed hi quoque in praedicanda strenuorum hominum felicitate vulgarem morem secuti sunt, id quod Platonis testimonio confirmatur leg. II 660e *τοὺς ποιητὰς ἀναγκάζετε λέγειν ὡς ὁ μὲν ἀγαθὸς ἀνὴρ σώφρων ὢν καὶ δίκαιος εὐδαίμων ἐστὶ καὶ μακάριος*[2].

[1] Cum oratorum praedicatione, qualem Isocrates (v. supra 49) commemorabat, conferas Adoniazusarum verba Theocr. XV 145 *Πραξινόα, τὶ χρῆμα σοφώτερον ἀ θήλεια· | ὀλβία ὅσα ἴσατι, πανολβία ὡς γλυκὺ φωνεῖ.*

[2] Cf. Remp. I 354a *ἀλλὰ μὴν ὅ γε εὖ ζῶν μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ὁ δὲ μὴ τἀναντία*; VIII 544a; Aristotelis de Platone verba fr. 3, 4

Plura de hac re disserere non est officii nostri, quia minus ad formulam macarismi pertinent, sed ad philosophorum disputationes; e quorum doctrina unum tantum dogma fusius nobis tractandum est, quod e schola in vitam exiit firmusque litterarum locus factus est, laus sapientis, qui rerum cognitione superstitionis timores superavit. Primum Anaxagoram huius felicitatis sibi conscium fuisse dicunt, qui quaerenti, quis esset felicissimus, respondisse narratur Eth. Eudem. I 4, 1215 b 7 *οὐδεὶς ὃν σὺ νομίζεις, ἀλλ' ἄτοπος ἄν τις σοι φανείη*, et annotatur ad hoc dictum *τοῦτον δ' ἀπεκρίνατο τὸν τρόπον ὁρῶν τὸν ἐρόμενον ἀδύνατον ὑπολαμβάνοντα μὴ μέγαν ὄντα καὶ καλὸν ἢ πλούσιον ταύτης τυγχάνειν τῆς προσηγορίας. αὐτὸς δ' ἴσως ᾤετο τὸν ζῶντα ἀλύπως καὶ καθαρῶς πρὸς τὸ δίκαιον ἤ τινος θεωρίας κοινωνοῦντα θείας τοῦτον ὡς ἄνθρωπον μακάριον εἶναι.* Quae sit *θεία* illa *θεωρία* ex altero eiusdem libri loco cognoscitur. Eth. Eud. I 5, 1216 a 11 *τὸν μὲν οὖν Ἀναξαγόραν φασὶν ἀποκρίνασθαι πρός τινα διαποροῦντα τοιαῦτ' ἄττα καὶ διερωτῶντα τίνος ἕνεκ' ἄν τις ἕλοιτο γενέσθαι μᾶλλον ἢ μὴ γενέσθαι 'τοῦ' φάναι 'θεωρῆσαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν περὶ τοῦ ὅλου κόσμου τάξιν'.* Iure ad hanc Anaxagorae doctrinam viri docti rettulerunt[1] Euripidis fragmentum 910 N. *ὄλβιος ὅστις τῆς ἱστορίας*[2] *ἔσχε μάθησιν, μήτε πολιτῶν ἐπὶ πημοσύνην μήτ' εἰς ἀδίκους πράξεις ὁρμῶν, ἀλλ' ἀθανάτου καθορῶν φύσεως κόσμον ἀγήρων πῇ τε συνέστη καὶ ὅθεν*[3] *καὶ ὅπως. τοῖς δὲ τοιούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν ἔργων μελέδημα προσίζει.* Omnes, quas Anaxagoras felicitatis condiciones dixit, hic quoque inveniuntur, *ἀλυπία, δικαιοσύνη, θεωρία*; acrius vero ab Euripide opponuntur *πρακτικός* et *θεωρητικὸς βίος*, quos in Antiopa quoque poetam comparavisse constat (fr. 184sqq. N.). Alterius exemplum est homo politicus, qui quamquam vulgo maxime celebratur, tamen beatus esse non potest, quia neque gravibus curis laboribus-

---

Bergk *ὃς μόνος ἦ πρῶτος θνητῶν κατέδειξεν ἐναργῶς | οἰκείῳ τε βίῳ καὶ μεθόδοισι λόγων | ὡς ἀγαθός τε καὶ εὐδαίμων ἅμα γίνεται ἀνήρ.* V. etiam, quae de hac doctrina contulit O. Immisch *Philol.* LXV 1906, 17 sq.

[1] Valckenaer, Diatribe in Eur. fab. 25; v. Wilamowitz *Heracles* I 22 sq.; id. *Griech. Lesebuch* II 2, 185.

[2] De vocis *ἱστορία* significatione v. Nestle l. l. 393, 75.

[3] *ὅπη* codd.: Wilamowitz.

que liber est, neque a peccatis quidem sinceram vitam servare potest, alterius philosophus, cui remoto a rebus publicis cum dulci otio naturae leges observare licet. Indulgere rerum omnium cognoscendarum studio naturae humanae penitus insito ea demum vera est felicitas.

Aliud in his versibus novum est: poeta in praedicanda sapientis felicitate ea loquendi forma usus est quam firmam in mysteriorum ritu locutionem esse statuimus. Eximia enim huius loci similitudo cum formula illa *ὄλβιος ὃς τάδ' ὄπωπεν* neminem fugit.

Hunc consensum ne casui demus, impedit, quod scientiae et mysteriorum comparatio omnino est usitatissima. Mysteriis enim haud minus quam scientia paratur rerum cognitio, mysta *οἶδε μὲν βίου τελευτὰν οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.* Contemplatione mundi scientia, spectaculi visu mysteria animi pacem atque quietem pollicitantur, utraque disciplina *θεωρίᾳ* quadam homini beatitudinem promittit. Itaque iam Empedocles eum, qui doctrina sua rectam de dis opinionem sibi quaesivit, beatum appellavit sacra illa arcanorum formula usus[1] fr. 132 Diels *ὄλβιος ὃς θείων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον, | δειλὸς δ' ᾧ σκοτόεσσα θεῶν πέρι δόξα μέμηλεν.* Anaxagorae quoque naturae cognitio *θεία* est *θεωρία.* Platonem vero mysteriorum simili summam sapientis beatitudinem illustravisse inter omnes constat[2]. Quem alludere ad macarismum in mysteriis usurpatum mihi quidem persuadetur in Phaedro 250 b *κάλλος δέ τοτ' ἦν ἰδεῖν λαμπρόν, ὅτε σὺν εὐδαίμονι χορῷ μακαρίαν ὄψιν τε καὶ θέαν ἑπόμενοι μετὰ Διὸς μὲν ἡμεῖς ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλων θεῶν εἶδόν τε καὶ ἐτελοῦντο τῶν τελετῶν ἣν θέμις λέγειν μακαριωτάτην*[3].

---

[1] Cf. Norden *Agnostos Theos* 100, 1.

[2] V. Rohde *Psyche* II[2] 279, 1; Heidel *Zeitschrift für Religionspsychologie* III 1910, 379.

[3] Cf. etiam Phaed. 111 a *θέαμα εὐδαιμόνων θεατῶν*; Platonem sequuntur Maximus Tyrius IX 6 e *ἐποπτείαι* (scil. *ἡ ψυχή*) *τὰ οἰκεῖα θεάματα καθαροῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς . . . . . οἰκτείρουσα μὲν αὐτὴν τοῦ πρόσθεν βίου μακαρίζουσα δὲ τοῦ παρόντος*; XVI 6 e *ὦ στόλου μακαρίου καὶ θεαμάτων καλῶν καὶ ὀνείρων ἀληθινῶν*; Plotin. de pulchr. p. 56 d *μὴ ἀμοίρους γενέσθαι τῆς ἀρίστης θέας ἧς ὁ μὲν τυχὼν μακάριος* (cf. *μακαρίζομεν τῆς*

Ab Anaxagora ipso vel ab eius imitatoribus pendent aliquot auctores, qui vitae contemplativae commoda simillimo modo descripserunt. In primis commemoro Menandrum fr. 481 *τοῦτον εὐτυχέστατον λέγω | ὅστις θεωρήσας ἀλύπως Παρμένων | τὰ σεμνὰ ταῦτ' ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθεν ταχύ, | τὸν ἥλιον τὸν κοινόν, ἄστρ' ὕδωρ, νέφη, | πῦρ* [1]. Verba *θεωρήσας ἀλύπως τὰ σεμνὰ ταῦτ'* Anaxagorae illud *τὸν ζῶντα ἀλύπως ἤ τινος θεωρίας κοινωνοῦντα θείας* in memoriam revocant, nec deest mysteriorum significatio (*εὐτυχέστατον ὅς, τὰ σεμνὰ ταῦτα*; cf. e. g. *ὄργια σεμνά* Aristoph. Thesm. 948), quam in Euripidis versibus modo tractatis invenimus.

Quid quod Vergilius eundem locum communem exhibet in praeclaris Georgicorum versibus II 490: 'Felix, qui potuit rerum cognoscere causas | atque metus omnis et inexorabile fatum | subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari. | Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis, | Panaque Silvanumque senem nymphasque sorores. | Illum non populi fasces, non purpura regum | flexit et infidos agitans discordia fratres'? Eandem esse comparationem vitae activae et contemplativae atque in Euripidis versibus, eandem formulam adhiberi ad laudandum *θεωρητικὸν βίον* apparet. Ut hoc loco Vergilius Lucretii sapientiam laude exornavit [2], ita Ovidius in iis versibus, quos eum in honorem Germanici Fastorum carmini inseruisse verisimile est, macarismum adhibuit Fast. I 297: 'Felices animae, quibus haec

---

θέας Maxim. Tyr. XVI 6a; Lucian. dial. mar. XV 4; Icaromen. 19) *ὄψιν μακαρίαν τεθεαμένος, ἀτυχὴς δὲ οὗτος ὁ μὴ τυχών.*

[1] Pergit Menander l. l. 8 *πανήγυριν νόμισόν τιν' εἶναι τὸν χρόνον | ὃν ἡμεῖ τοῦτον ἢ 'πιδημίαν | ἐν ᾧ ὄχλος, ἀγορά, κλέπται, κυβεῖαι, διατριβαί· | ἂν πρῶτον ἀπίῃς, καταλύσεις βελτίονα | ἐφόδια ἔχων ἀπῆλθες ἐχθρὸς οὐδενί.* Pythagoram vitam humanam cum *πανηγύρει*, quo philosophi spectandi (*θέας*) causa veniunt, composuisse Heraclides Ponticus memoriae tradidit; v. Cic. Tusc. V 9; *περὶ ὕψους* XXXV 2; Diogen. Laert. VIII 1, 6; Iambl. vit. Pyth. 58. Quae comparatio nescio an per Epicharmum ad Menandrum pervenerit, ad quem respicit etiam locutio *ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθεν ταχύ*; cf. Epicharm. fr. 245 Kaibel *συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθεν πάλιν* (cf. etiam Sophocl. Oed. Col. 1225; Plat. Theaet 176a); qui poeta fortasse in eodem contextu de fragilitate generis humani disputans, 'mercatus' quoque imaginem adhibuit.

[2] Cf. e. g. R. Woehler *Ueber den Einfluß des Lucrez auf die Dichter der Augusteischen Zeit* I, progr. Gryphisw. 1876, 3.

cognoscere primis | inque domus superas scandere cura fuit. | Credibile est illas pariter vitiisque locisque | altius humanis exeruisse caput. | Non Venus et vinum sublimia pectora fregit,| officiumve fori, militiaeve labor; | nec levis ambitio perfusaque gloria fuco | magnarumque fames sollicitavit opum. | Admovere oculis distantia sidera nostris | aetheraque ingenio supposuere suo'. Vergilii atque Ovidii versus adeo sunt similes inter se, ut e communi litterarum fonte utrumque hausisse equidem pro certo habeam. Hoc certe Euripidis, Menandri, Vergilii, Ovidii exempla satis clare demonstrant, quam status atque firmus fuerit macarismus in comparatione vitae activae et contemplativae. Cuius rei extremum testimonium Statii ad Pollium Felicem Epicureum versus afferam Silv. II 2, 121: 'Vive, Midae gazis et Lydo ditior auro, | Troica et Euphratae supra diademata felix, | quem non ambiguae fasces, non mobile vulgus, | non leges non castra terent, qui pectore magno | spemque metumque domas, voto sublimior omni | exemptus fatis indignantemque refellens | fortunam'.

Postquam in priore huius capitis parte certorum bonorum negotiorumque praedicationes tractavimus, altera parte dicendum nobis erat de iis macarismis, qui non ad certas quasdam felicitates, sed ad communem hominum sortem pertinebant. Omne harum praedicationum genus derivavimus e cogitationibus de rerum humanarum fragilitate. Quibus factum est, ut alii de salute sua desperantes vel mortuos vel praeterita tempora vel bestias laudarent, alii religionis mysteriorumque refugium peterent, alii mundi contemplatione a vano superstitionis timore sese liberarent. Superest ut singulis generibus perlustratis redeamus ad quaestionem supra iam (24 sq.) leviter tactam de genuina formulae causa atque origine. Atque ut supra unum macarismorum genus, ita universitatem ad duplicem fontem referre licebit; alter est amor cogitandi ac disputandi de pretio vitae humanae, ex quo naturali necessitate nascitur quaestio, quisnam sit beatus. Responsum ad simplicissimam formam redactum hoc est: beatus est, qui hoc vel illo bono fruitur, vel omisso verbo substantivo: beatus ille, qui, *ὄλβιος ὅς, μάκαρ ὅς*. Apparet haec enuntiata sententias esse sive *γνώμας*, qualibus vulgus quae de hominum natura

cognita habet, exprimere solet. In quo gnomarum numero permulta poetarum atque philosophorum de felicitate vota habenda erant, vetustissimum exemplum ut afferam Hesiodeum illud *εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος ὃς τάδε πάντα κτλ.* (v. supra 59). Illud quoque gnomae proprium est, quod profertur cum docendi consilio, ut sit vitae agendae norma. Qua de causa in oraculis et in mysteriis formula usurpabatur, qua ad religionem homines adducerentur. Altera quoque quam dicimus praedicationum classis, si ad formam respicis, gnoma est, sed ea re differt, quod non e cogitatione oritur, sed e subito, ut ita dicam, affectu. Sunt exclamationes illae invidiae, desperationis, admirationis, laetitiae, aliorum affectuum voces, ex ipsa occasione natae, nonnulla ut repetam, invidiae divitiarum laudes, desperationis mortuorum, admirationis *εὐπαιδίας*, aliorum. Hoc quoque praedicandi genus primum quidem vulgare est, saepissimeque vulgus ob talium affectuum professionem a philosophis castigari vidimus, transiit autem in litteras, praecipue in laudatoria genera, velut in epithalamia, epinicia, encomia.

Haec de genuina macarismorum indole disseruisse satis sit. Qua in re, quoniam mera opinione nitimur, cavendum est, ne nimio acumine unumquodque exemplum certae classi attribuere studeamus. Longe enim abest, ut definitum disponendi ordinem proponamus; immo macarismum firmam stabilemque loquendi formam et communis veterum de felicitate opinionis speculum et litterarum *τόπον* fuisse hac dissertatione probasse satis habemus.

Index

Aeschyl. fr. 317 14
agricolae 58
ἀλυπία 54
amor 40
Aristoph. Thesm. 106 6, 7
Aristot. Eth. Nic. I 1100a 11 18

Bacchyl. V 50 11
beatus 23

dies 42, 4
divitiae 36

eloquentia 48
epinicium 47
epithalamium 34
εὐδαίμων 9
— ἀνήρ 13
— de mortuis 23
— καὶ μακάριος 21
Eurip. fr. 198 16
— fr. 910 66

felix 24
ferae 56
fortunatus 24

gloria 43

Hes. op. 140 8
— 170 9
— 826 9. 25
— fr. 81 33
Hom. Od. V 153 25
— V 306 24

καλῶς εὐδαίμων 14

laudator temporis acti 55
ludi 47

μάκαρ 5
μάκαρες θνητοί 8
μακαρία 17
μακαρισμός 1
μακαρίτης 17. 53
μακαρίζειν 2
maritus 32
μέγας καὶ εὐδαίμων 12, 1
μεμψιμοιρία 56
Menand. fr. 481 68
mortui 51
mysteria 62

nuptiae 33

ὄλβιος 6
— deorum epithetum 6, 7
oracula 60

Persarum rex 39, 3
φύσις 49, 3
Plat. Tim. 900 20
poetae 64

regia potestas 38
religiosi 58

scientia 66
Sophocl. Ant. 583 14
— fr. 848 14

θεωρητικὸς βίος 68

Xenoph. Ages. XI 8 19
— inst. Cyr. VIII 3, 48 19

ζηλοῦν 12